11.

DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA INAUGURALIS

DE

CURA SECUNDINARUM,

GRAVIDITATE AD TERMINUM DEDUCTA.

11.

LXV.

DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA INAUGURALIS,

DE

CURA SECUNDINARUM,

GRAVIDITATE AD TERMINUM DEDUCTA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JOANNIS MELCHIORIS KEMPER,

J. U. D. JURIS NATURAE, GENTIUM ET PUBLICI PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE CONSULTO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINÂ HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIÂ LUGDUNO-BATAVÂ,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

GABRIËL VAN CHARANTE,

ROTTERODAMENSIS.

Die XI. *Septembris* MDCCCXV. *Hora* XI.

LUGDUNI BATAVORUM

APUD C. G. MENZEL,

A 8 1 5.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Ex Decreto Facultatis 2 Februarii 1813, *judicandae ſunt opiniones in Diſſertatione propoſitae, auctoribus propriae neque a Facultate approbatae, neque rejectae.*

PARENTIBUS CARISSIMIS

ATQUE

AMICIS

SACRUM.

L'Art des accouchemens est auſſi noble par ſon ſujet qu'utile par ſa fin: il est le ſeul, qui jouïſſe de la prérogative de ſauver ſouvent d'un ſeul coup de main pluſieurs individus a la fois.

LEVRET, *Obſervat. &c. Praeface*

PRAEFATIO.

Quum quinquennium almâ in hac Academiâ degiſſem, atque omnibus legibus, quotquot & qualescunque fuerint, obſervatis, ad capeſſendam lauream doctoralem adſpirarem, mori deficere nolui, ſpecimen medici argumenti conſcribendi.

Non diffiteor me hoc meum propoſitum aegre ſuscepiſſe, primum, quippe opinantem arrogantis eſſe, eum, qui pulverem Scholaſticum vix excuſſerit, et plerumque majori jure inter discentes, quam docentes referri mereatur; mox ſuae doctrinae ſpecimen exhibere: quid enim in univerſum praestari potest, a tirone medico, experientia fere nulla munito? quam ea, quae in ſcholis audiverit, vel e variorum virorum ſcriptis didicerit, colligere, in ordinem disponere ac enarrare. At vero hanc opinio-

nem misſam faciens, et cedens monitis cum Praeceptorum tum Amicorum, in materiâ quâdam eligendâ non diu anceps haeſi: conſtitui enim illam Medicinae partem pertractare, quae mihi maxime arriſit, et cui praecipuam navavi operam.

Ante quadriennium primâ vice ad parturientis lectum deductus, vehementem uteri haemorrhagiam vidi, et gravitate mali adeo perterritus fui, ut abhinc ſecundinarum ſolutio, mihi ſemper magni momenti viſa fuerit. Ab illo igitur tempore ſtrenue varios de hac materie ſcriptores legi et evolvi; qui, quum in gravisſimâ hac re inter ſe valde diſſentirent, meum rei magis indagandae ſtudium vehementer adauxerunt; ita ut magis magisque haecce materies mihi cordi fuerit, et ejus perscrutationem eo lubentius in me ſuſceperim.

Grato animo autem testor, me multa debere tractatui Cl. MULDERI, *hujus materiae accuratam hiſtoriam literariam exhibentis: nec non eximio tractatui* Doct. WIGANDII, von den Urſachen und der Behandlung der Nachgeburtszögerungen, *ex quo didici quomodo haecce materies theoretice pertractari posſit; hos omnino libros prae aliis conſului, et ex iis non pauca in meos uſus converti.*

Fal-

Falleris tamen B. L. ſi diſſertationem a me exſpectes omnibus numeris abſolutam, cui componendae et vires meae longe ſunt impares, et ſatis longum temporis ſpatium defuit: quum enim diu fruſtra exſpectaſſem, ut tandem hujus Academiae faciem mutatam viderem, et ab omnibus ſordibus purgatam, quae ſaevâ Gallorum tyrannide in Patriâ noſtrâ grassante fuerant introductae, eventus hanc meam ſpem fefellit; Gallorum more continuata ac laborioſa examina haud pauca ſubire debui, ut Candidatorum numero adſcriberer: quibus feliciter peractis, quum conſtituiſſem celebres Germaniae Academias, ſcientiae medicae ulterius excolendae cauſa adire, reliquum tempus adeo erat coarctatum, ut ſuſceptam materiem rite abſolvere non potuerim; cujus rei eo magis me poenituit, quoniam ultimam meae disputationis partem non ſatis accurate pertractare potui. Huc accesſit, quod cum bello in Patriam nostram nuper delato, plerique hujus Academiae Cives, Muſarum cultum cum armorum tractatione mutasſent, factum ſit, ut in aliis rebus agendis nonnunquam fuerim occupatus; et impedirer, quo minus hoc qualecunque ſpecimen pro

concesſâ libertate publice defenderem. Quare B. L. ſibi perſua-deat me haecce tantum collegisſe, ut documentum meorum pro-gresſuum, licet exiguorum exhiberem, non adeo, ut alios edoce-rem, quam potius ut ipſe diſcerem.

Hac opportunitate non posſum, quin omnibus Clarisſimis fa-cultatis Medicae Profesſoribus, ac doctisſimo viro G. SALOMON, ***pro ſuis egregiis Inſtitutionibus, et pro magna eorum erga me benevolentia, hic publice gratias agam habeamque.***

DIS-

DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA INAUGURALIS

DE

CURA SECUNDINARUM,

GRAVIDITATE AD TERMINUM DEDUCTA.

INTRODUCTIO.

Dei Omnipotentis divina ſapientia, et veneranda Providentia, uti non magis elucescunt ex Μακροκόσμου quam Μικροκόσμου contemplatione; ſic etiam in iis auxiliis, atque iis organis, quae Creator, ad univerſum genus humanum conſervandum, praeſto eſſe curavit, aeque conſpicuae ſunt, quam in iis quae Ille ad vitam ſanitatemque uniuscujusque hominis conſervandam conſtituit.

Si enim attendamus ad mutationes, quas cum animus, tum corpus utriusque ſexus, tempore pubertatis ſubeunt; ſi attendamus, quomodo tam Mas quam Foemina ſe invicem appetant, in mutuos complexus ruant; ſi numeri utriusque ſexus, fere ſemper et ubique paris, rationem habeamus; ſi denique accurate fabricam corporis foeminini perſcrutemur; facile concludi poteſt, perfecte hoc eſſe conſtructum, ita ut functionem ſexualem peragat, hoc eſt

ut virum admittat, foetum concipiat, nutriat, contineat ac emittat; insuper non possumus satis admirari divinam sapientiam, quae modis auxiliisque tam praeclaris, aciem mentis humanae prorsus fugientibus, curaverit, ut creationis ornamentum, genus humanum incolume praestaretur, atque terrarum orbis hominibus nequaquam esset destitutus. Adsentimur ergo Ciceroni dicenti. „ *Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus, sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano.*" (1)

Quam perversa ergo illorum est cogitandi ratio, qui prae se ferunt, innumera mala, plurimaque pericula, puerperii functioni esse sociata; quum numerus hominum hujus aevi, non minor numero hominum seculorum praeteritorum; numerus virorum, numerum foeminarum non superans, numerus vetularum, numero senum major; et vita nuptarum longior, quam vita caelibatarum, contrarium probent: atque extra omnem dubitationis aleam ponant, Numen beneficum in hacce functione, nil nisi generis humani felicitatem ac conservationem sibi proposuisse (2).

Nonne praeterea jure statui potest, ex ipsis partus incommodis, foeminas plus emolumenti quam detrimenti capere? Nam ut Cl. CAMPERO auctore utar. „ Nonne," inquit, „ feliciores habendae sunt foeminae, si septies octiesve per breve tempus dolores patiantur, quam si per totam earum vitam immedicabili uteri prolapsu, ramicibusque aliisque laborarent vitiis, quae si pelvis adeo foret ampla, ejus adeo laxa ligamenta ut foetui facillimus foret exitus, inevitabilia haec utique insequerentur incommoda." (3)

Negari tamen nequit, ob hancce functionem, faeminas, prae vi-

(1) Vid. Quaest. *Tuscul. Lib.* I. *Cap.* 49

(2) SUSMILCH in opere egregio. *De Goddelijke order, heerschende in de veranderingen van het menschelijk geslacht.*

(3) Vid. CAMPERUS in *Disert.* I. *belg.* idiom. ed. ante MAURICAEI *Tractatum de Morbis Gravidarum ac Parturientium ed.* 2. *Amstelod. pag.* 2.

viris, plurimis malis esse obnoxias, et hanc partium diversitatem, functiones ejus diversas, mutationesque, varia vitae periodo, varias totidem esse causas praedisponentes, ut praeter morbos viris proprios, longe insuper plures, aliosque perpeti debeant. Quare non incongrue Democritus in Epistola ad HIPPOCRATEM dixit. „ *Uterus sexcentarum aerumnarum mulieri auctor.*" (4)

Cum igitur tam infelix sit foeminarum conditio, ut adfectibus viris propriis etiam sint obnoxiae, nec non infinitis aliis malis, quibus viri non laborant; sequitur functiones sexuales non raro Medici regimen, attentionem et curam postulare. Quamobrem nemini mirum aut plane incongruum videri potest, si de quâdam functione sexuali, nimirum de solutione secundinarum agere constituerim; et mihi animus sit, exhibere descriptionem, de modo, quo natura hanc functionem absolvat, quo labescenti naturae succurri possit, qua ratione saepe a sua norma discedat, et denique quomodo ars has aberrationes curare soleat debeatque; priusquam haec adgredior, pauca adhuc de primis partus momentis, praefari liceat.

Viro ad foeminam admisso, coïtu rite instituto, conceptione factâ, foemina est gravida, uterum gerit; intumescit abdomen, menstrua non amplius prodeunt, turgent mammae, foetus motus percipit foemina. Ut vero unicuique animali suum est pariendi tempus, parum erroris admittens, sic et Regni animalis principi, foeminae suum pariendi tempus competit determinatum; et sapientis quidem Creatoris instituto constitutum est, ut per novem menses solares, decemve lunares uterum gereret foemina, et foetus inter viscera matris absconditus, certum inveniret domicilium, ubi ab injuriis externis tutus, sanguine materno aleretur. Absoluto autem graviditatis tempore, natura foetum e corpore materno expellere conatur, incipit partus, percipiuntur uteri musculo-

num-

(4) Vid. HIPPOCRATIS *Epistola ed. Foës. pag.* 1289.

rumque abdominalium contractiones, poſt breves intermiſſiones redeuntes, dolores praeparantes parturientem invadunt, oſtium uterinum paulatim aperitur, membranae per illud protruduntur, aquae, ut ajunt, ſeſe formare incipiunt; contractiones nunc majore intenſione increſcentes, titulo dolorum ad partum inſigniuntur, quae caput foetus, in pelvis minoris capacitatem protrudunt, membranas rupturam facere, et liquorem amnios effluere cogunt. Tertium nunc partus momentum intrat, dolores conquaſſantes, prioribus multo vehementiores, ac proxime ſibi inſequentes parturientem invadunt, pulſus fit durus, plenus et frequens, tremor artuum, faciëi ardor, ſudor profuſus, horripilationes, dentium ſtridor, labiorum conſtrictio, faciëi alienatio, vocis mutatio ſeſe obſervatoris oculis monſtrant, ac ejus animum horrendum in modum adficiunt; atque his vehementiſſimis conatibus frenulum disrumpitur ac foetus excutitur.

C A-

CAPUT PRIMUM.

DESCRIPTIO ULTIMI MOMENTI PARTUS NORMALIS.

§. 1.

Excusso foetu, statim evanescunt omnia molesta symptomata, defessa parturiens non amplius percipit uteri vehementes contractiones, dulcissimâ reficitur quiete, quae verbis exprimi non potest; pulsus fit mollis, plenus, aequalis; calor, sudor, ac genarum rubor sensim sensimque imminuuntur, ac oculi somno fiunt graves; pallida facies pulcherrimam praebet imaginem beatae ac suae sortis contentae matris, cujus brachia cum oblectamento prolem festivam amplectuntur; frustra quaerit verba, ut suam felicem sortem adstantibus depingat, ac tandem leni somno sopita jacet.

Brevi tempore praeterlapso, post quadrantem vel semihoram, quies illa denuo turbatur; dolentes ac convulsivae uteri ac musculorum abdominalium redeunt contractiones, sensatio oritur corporis descendentis, quod e vaginâ prolabi conatur; hae contractiones vero multo minoris sunt momenti, quam quas ad foetus expulsionem Natura adhibet ac semper, iis vigentibus, quidquam sanguinis ex utero fluit; quod a solutione placentae dependet, cujus cum utero nexum disolvunt, et sic, conjunctione solutâ, se-

cundinas per oſtium uterinum in vaginam pellunt, (5) e quâ dein ſponte, corporis ſitu mutato, prolabuntur, atque ſic absque ullo artificio abſolvitur partus.

Partu abſoluto per aliquot adhuc dies ſanguinis ex utero ſtillicidium obtinet, cum catameniis comparandum, largior aliquanto tamen ejus eſt quantitas, ac dum ſaepe in uteri cavo coagulatur ſanguis, dolores (Gallice *tranchées*) nonnunquam percipit puerpera, ab expulſione harum grumarum ortos, color lochiorum cruentus brevi in ſubrubellum, dein in albidum abit, ſeroſam induunt naturam, quod plerumque ſecundo, tertio, aut quarto poſt partum die accidit, cum febriculâ corripitur puerpera, quae cum ſudore univerſali, mammarum intumeſcentiâ ac lactis ſecretione ſolvitur; febre lacteâ fugatâ, lochiorum fluxu ceſſante, omnes partes, genitalibus exceptis, quae paululum flaccida ac dilatata manent, ac oſtium uterinum, quod parvas cicatriculas exhibet, priſtinam formam reſumunt; mater infanti ubera praebet, ac utriusque ſanitas ac vires, quotidie augmentum capiunt (6).

§. 2.

Sic natura partum abſolvit, ſic ſecundinas expellit, ſi omnia, ad hanc functionem peragendam neceſſaria rite ſeſe habeant, ſi nexus inter uterum atque placentam non ſit nimius, aut nimis debi-

(5) Supervacaneum foret determinare, quid ſecundinae ſint, quum ad unum omnes, hodie hac voce placentam et membranas ſive ovum a contentis depletum inſignire ament, quia quaſi partum ſecundum efficiunt. De ſtructurâ ac functionibus harum partium conſuli merentur variorum Anatomicorum ſcripta; ac praeprimis SCHREEGER, *de functione plancentae utérinae*, *Erlangae* 1799. LOBSTEIN, *Eſſai ſur la nutrition du foetus*, *Strasbourg* an X. (1802) *forma quarta* et WRISBERG *de ſtructura ovi et cet. pag.* 312.

(6) Conf. SAXTORPH, *Erfahrungen die volſtandige Geburt betreffende. Coppenhagen A°. 1786.*

bilis (7), vel inaequalis; ſi contractiones debitae ſint energeiae, ſi placenta fundo uterino ſit annexa, nec volumine peccet, aut aliud obſtaculum ſeſe ejus ſolutioni aut expulſioni opponat; horum vero requiſitorum, ſi unum alterumve deficiat, natura a deſcriptâ normâ deviat, quamvis non minus ſuo ſcopo tamen ſaepe feliciter potitur.

Statuimus in praecedenti paragrapho ſolvi ac expelli contractionibus uteri ſecundinas; nonnulli vero, in quos LOBSTEIN eſt referendus, cenſent ſolutionem ſecundinarum produci a ſanguine, nunc liberius per vaſa majora circulante, majori vi ad uterum tendente, nec amplius a foetu abſumpto, quo ergo ſinus placentae diſtenduntur, atque ſic ab ipſo utero detrudi, quum ulterioris dilatationis non ſint capaces (8).

Alii rurſus a pondere ipſius placentae non amplius a foetu aquisque fultae ſolutionem ſecundinarum dependere putant. Quamvis

(7) Si nimis infirma ſecundinarum cum utero cohaeſio ſit, pelvis ſimul ſit ampla, ac membranae tenaciores ſint, inregrum ovum, ſive foetus cum ſecundinis ſimul expellitur, qualem partum in ovo ſatis incongrue HARVEY partum maxime naturalem vocat, vid. ejus exercitationes *De generatione animalium quibus accedunt quaedam de partu &c. pag.* 356, quamvis maxime facilem eſſe non negemus; nam uti recte monet Vir clariſſimus, Praeceptor aeſtumatiſſimus, M. S. DU PUI, in Inſtitutionibus ſuis privatis. „ Talis partus raro obſervatur in partu ad terminum, foetus corpore bene evoluto, „ et doloribus valentioribus, ſed ſaepe in foetubus puſillis ad plenam maturitatem nondum perventis: ac ſecundo, quia ut vitam agat ac continuet, „ requiritur ut membranae disrumpantur, ac ſi non disrumpantur partu maxime naturali perit infans: denique tertio, unâ cum ovo et ſimul ac ſemel „ excutiatur placenta neceſſe eſt, alias enim in ovo infans naſci non poteſt, „ uterus igitur non tantum uno momento omnem ab ovo reſtiſtentiam perdit, „ ſed eodem momento avulſâ placentâ, hiant vaſa uterina: hocque itaque duplici ſtatu effici potest, ut ſacci adinſtar nunc collabatur uterus atonicus „ vaſaque ſe non contrahentia inſignem quantitatem imo ad mortem usque „ fundant ſanguinis."

(8) Vid. LOBSTEIN *in opere citato* §. 113.

vis vero non negemus, quod congeſtio ſanguinis ad uterum, atque inde profluens diſtenſio ſinuum placentae ad dilacerationem tenerae celluloſae nexum efficientis conferre quid poſſit; ac pondus ipſius placentae forſan aliquo jure ſimul in cenſum duci queat; tamen non dubitamus recenſere contractiones uteri ac preli abdominalis actionem, uti cauſas ſolutionem ſecundinarum efficientes; quum ſecundinarum ſolutio non ſuccedet, niſi perceptis contractionibus, uti haemorrhagiae ab uteri contractionibus excitatae, peractam ſolutionem certo certius probant.

§. 3.

Si ad ea attendamus, quae poſt foetus expulſionem contingunt, non ſatis divinam mirari poſſumus ſapientiam, et ordinem egregium, neque minus praeclara, quam ſimplicia auxilia, quae Creator, ut rite haec functio perageretur, fundavit; ut melius quid excogitari vel aptius effici poſſe, mens noſtra credere recuſet.

Quis, quaeſo, neget egregium eſſe inſtitutum, ut defeſſa parturiens poſt foetus expulſionem dulci quiete vel ſomno fruatur, ut novas colligat vires ad partum penitus abſolvendum; ad corpus illud heterogeneum, ſuâ praeſentiâ brevi moleſtum ex utero, ſecundinarum titulo, expellendum? Quis non obſervat egregios hujus inſtituti effectus, quando novis collectis viribus parturiens e ſtatu ſuo quieto ab inſurgentibus contractionibus excitatur, et ſecundinas cum levi haemorrhagiâ expellit? Quis in ipſa illâ haemorrhagiâ? quis in lochiorum fluxu non detegit praeclara inſtituta in ſalutem corporis foeminini tendentia? phlogiſtica enim uteri conditio ſic tollitur; heterogenea in uteri cavo ſemper poſt partum praeſentia corpora diſſolvuntur, eliminantur. Quum vero ſint puerperii comites inſeparabiles, quum ex organismi lege, e functione praegreſſâ ſequi neceſſarie debeant ſimulque mala, quam plurima ceterum puerperae minitantia ita praecavent; ut arte aptius vel melius quid excogitari poſſe negemus.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

DE OFFICIO MEDICI OBSTETRICANTIS VERSUS PARTURIENTEM POST FOETUM EXPULSUM, IN STATU NORMALI.

§. I.

Praecedenti capite expoſuimus, quomodo natura partum abſolvat, quâ ratione ſecundinas expellat, exinde patuit artis auxilio, in peragendâ hac functione ſtricte non egere, ſed ſibi ſoli ſufficere, et magis convenire, ut obſtetricator ſpectatorem quam actorem agat. Nec tamen quis ſibi fingat obſtetricantis praeſentiam inutilem aut ſupervacaneam eſſe, ſed aeque neceſſe eſt, et aeque requiritur ac durante foetus expulſione, obſervando quid natura faciat feratve, praecavendo ne a normâ ſuâ deflectat, munditiei proſpiciendo ac cavendo, ne ſecundinae prolabentes terrorem parturienti incutiant, aut pars membranarum remaneat, quâ ſemper novae excitarentur contractiones ac puerperium turbaretur.

Solutis ergo ſecundinis, ac in vaginâ haerentibus, aut oſtium uterinum occupantibus, nec prius ad illas educendas ſeſe accingat obſtetricator, ut recte monet BAUDELOCQUE; quando ait: „ *On ne* „ *doit jamais antreprendre de delivrer la femme, que le pla-* „ *centa ne ſoit detaché, et que la matrice ne s'efforce de l'ex-* „ *pulſer, ſi ce n'eſt dans les circonſtances que nous indiquerons* „ *ci-après*" (9), ac dum cum digitis unius manus funiculum um-

(9) Vid. *L'art des accouchemens par* J. L. BAUCELOCQUE, *Tom. prim. part. Chap.* V. *Art.* 1. *Sect.* II. §. 911. *pag.* 397 *ed. Gall. An.* 1807.

umbilicalem arripit ac leniter tendit, cum alterius manus digitis funiculum verſus os ſacrum deprimit, ad placentam usque adſcendit, ut ſic axeos pelvis rationem habeat, ac vires manus trahentis perpendiculariter in ipſam placentam agant, leniter funiculum attrahat, et ſi ſequatur placenta pro axeos pelvis directione elevetur manus: ſi vero leniori conamini non cedat placenta, ſed potius relaxato funiculo reſiliat, ob hoc indicium ſolutionis nondum peractae ab ulterioribus conaminibus abſtinendum eſt, et naturae committendum opus: ſi ad genitalia externa ſecundinae pervenerint ambabus manibus arripi, elevari, ſaepius involvi ac educi debent, ut membranarum in funem contortarum nil remaneat.

Examinet dein ſecundinas obſtetricans ut conſtet an ſint integrae, et qualis ſit color, quum inde de uteri conditione ſimul certior fit, deinde lumbos puerperae cum linteamine lato calefacto quadruplicato cingat, ut ſic aptum fulcimentum musculis ac abdominalibus visceribus praebeatur; quae evacuato utero omnem fere amiſerunt reſiſtentiam. Accesſus aëris ad genitalia linteamine octuplicato impediatur, quod lochia ſimul recipit ac munditiëi cauſâ ſaepius de die mutari debet: a frigore tuëantur mammae linteamine molli duplicato impoſito: in lecto adaptato demittatur puerpera, vel ſordes auferantur: aliquod alimentum eupeptum illi offeratur, ac ut ſomnum capiat illi concedatur.

§. 2.

Natura, uti in §. 2. *Cap.* 1. diximus, non ſemper eodem cum tenore, non ſemper ſecundum normam praeſcriptam hanc functionem abſolvit: variae ejus ſunt aberrationes, quamvis non minus feliciter ſuo ſcopo potiatur, ac feliciter partum abſolvat, ſecundinas expellat; ſic e. g. per longum temporis intervallum ſaepe vel nulla obſervantur conamina vel leviora tantum aut ſaltem ſecundinas

nas expellere non valentia (10), et quamvis natura ea ſuperaret obſtacula, quae ſeſe ſecundinarum ſolutioni ac expulſioni opponunt, tamen obſtetricatoris officium requirit, ut ad ea attendat, et majora mala e levioribus illis a ſtatu normali aberrationibus ſaepe oriunda praevideat, lenioribusque auxiliis retardationis cauſis rite adaptatis praecaveat: non ſolum enim eadem commoda inde percipit parturiens ac in ſtatu maxime naturali, ſed plura inſuper; ſic terror ac anxietas e remanentibus ſecundinis oborta leniuntur, ſic citius ad finem ducitur partus, ſic citius quies defesſae puerperae concedi poteſt.

Ne tamen quis putet me in eâ opinione verſari, ſecundinas, ſi non brevi inſequuntur foetum, debere avelli ac extrahi; ne quis putet, me ab illorum partibus ſtare, qui oſtii uterini conſtrictionem ac ſecundinarum incarcerationem timentes, ſtatim manus operi admovent, ſecundinas extrahere, educere ſtudent: infante vel alio pondere funiculo dependente, errhinis, emmenagogis propinatis medicamentis (11), aut ab utero manu introducta,

(10) De ſecundinis poſt longum temporis intervallum feliciter naturâ expulſis conſer: DE REUS *Naauwkeurig Onderwijs in de Verloskunde, pag.* 53, 123, 150 *en* 122, 2*de druk.* SWIETENII *Comment. in* BOERHAVII *aphor. Tom.* IV. *pag.* 579. GEHLER *in Diſſert. De utero ſecundinas expellente Lipſiae* 1769 *pag.* 9. BROWN, *Memoirs of the Medical Society of London, vol.* V. *Art.* 22. ZANETTI, *in novis actis phyſico Med. Acad. Caeſ. Leop. cura Naturae curios. Tom.* V. *Obſerv.* 42. TITSING, *Diana ontdekkende het geheim der dwazen &c. pag.* 739. C. G. ORTELS, *Medicinisch praktiſche beobachtungen Leipzig* 1804 *No.* 3, VAN WY, *Prijsverhandelingen van het Amſterdamsch Genootſchap der Heelkunde, pag.* 13. *et* 14 *Dl.* VI. *St.* 1.

(11) Vid. HIPPOCRATES *de Superfoet. ed. Foës. Tom* I. *pag.* 261. *De natura muliëbri pag.* 581, 582 *et* 583. *De morb mulierum pag.* 608 *ibidem pag.* 624, 625, *ac pag.* 632, *Aphor. lib.* V. *Sect.* 5, *Aphor.* 49. CORN. CELSUS, *de Medicina Lib.* VII. *Cap.* 29. A. PARÉ, *de la generation de l'homme, Paris* 1573 8°. *Cap.* 17. MAURICEAU, *Traité des maladies des femmes groſſes, Paris Ao.* 1712 4°. *Liv.* II. *Chap.* 8. *p.* 248.

ductâ, placentam deglubere praecipuunt (12). Multum tamen abeſt, quo minus illa praecepta ſequamur, quae ſolum, ut teſtimonia inſcitiae praeteritorum ſaeculorum ac artis adhuc in cunabulis verſantis ſunt conſideranda, quorum inutilitatem non ſolum, ſed nocivos, quos edunt, effectus nimis dira plurimis exemplis probavit experientia: ſed contra nobis videtur, nunquam eductio ſecundinarum eſſe ſuſcipienda, priusquam placenta ſit ſoluta, ac natura ad illam expellendam conamina inſtituat, niſi adſint ſymptomata urgentia, de quibus mox dicendum: ne naturae vim inferamus, ejus conamina praecurramus aut perturbemus, quum ſolum illam adjuvare ac ſuſtinere debeamus.

§. 3. (13.)

Abſentia contractionum, foetu nato, ac inde promanans retardata ſecundinarum ſolutio dependet a debilitate univerſali, aut topicâ uteri, quae directa vel indirecta eſſe poteſt: debilitas univerſalis jam ante partum cognoſcitur e totius corporis habitu ac ſymptomatibus univerſali debilitati propriis; durante partu ex uteri levioribus contractionibus, ac totius partus languore manifeſta fit: huic morboſae conditioni imperfecta totius corporis evolutio, morbi praegreſſi ac nimiae excretiones anſam praebent. Topica uteri debilitas producitur a cauſſis, debilitatem huic organo conciliantibus, uti fluore albo, partubus frequentioribus, difficilioribus praegreſſis, tas

(12) Vid. DEVENTERIS, *Operationes Chirurgicae novum lumen exhibentes obſtetricantibus ed. belg. Ao.* 1746 *a pag.* 191—193. SMELLIUS, *A Treatiſe on the Theory and Practice of Midwyfery* 3 *ed. London* 1752 8°. *vol.* 1. *pag.* 240 *et* 241.

(13) Quam difficile ſit limitem ponere inter ſtatum ſanum ac morboſum, quis ignorat? ſic a nonnullis ad ſtatum morboſum referuntur conditiones, quas hic pertractandas eſſe putavi, quia, quamvis arte auxiliante tutius ſuperentur; tamen a naturae viribus abſolvi poſſunt.

hujusque viſceris vulneribus. Indirecta debilitas oritur a tono uteri amiſso vel ob nimiam a pluribus foetubus extenſionem, aut nimiâ aquarum quantitate, vel ex aliis aberrationibus foetus expulſionem difficilem reddentibus, majora hujus viſceris conamina excitantibus, vel ob foetus expulſionem praefeſtinatam (14).

Deficientibus uteri contractionibus, ſolutione ſecundinarum retardatâ, nocivas ex illo torpore non raro promanantes ſequelas obſtetricator impedire debet; arcendo aërem de genitalibus linteamine impoſito, praecavendo nocivas ex animi pathematibus profluentes ſequelas; removendo male fundatum metum, non raro e remanentibus ſecundinis obortum, refocillando vires analeptico, leni cardiaco medicamento; abdomini calidum linteamen applicando. Si uteri contractiones redeant, (hiſce auxiliis applicatis) partus negotium rurſus naturae viribus committitur; ſi vero nec tunc ſecundinarum ſolutio ſequatur, vel ob non ſufficientes contractiones, vel ob cohaeſionem placentae ſolito fortiorem tunc naturam in hac functione adjuvare, uteri contractiones augere debemus; cui indicationi ſatisfaciunt frictiones in globum uterinum inſtitutae, fundo uteri praeſertim applicatae, ut ſic ad majores excitetur contractiones uterus (15); et interne analeptica leniter cardiaca adhibeantur medicamenta.

Hisce ſolutis ſecundinis, ac per ostium uterinum propulſis modo §. 1. hujus capitis deſcripto foras duci debent, ac ut puerperii cu-

(14) De Diverſitate curae in asthenia directa ac indirecta ex profeſſo agemus in §. 10 Cap. 3.

(15) Mala applicatio ſive iniqua harum frictionum directio e. g. in collum uterinum, nocivas ſequelas producere potest uti ſecundinarum incarcerationem aliasque, vid. WIGAND in Tractatu, *Von den Urſachen und der Behandlung der Nachgeburtszögerungen*, *Hamburg* 1803, 8°. §. 3. *pag.* 43. nec minora mala ex intempeſtivo uſu ſaepe oriuntur cujus rei egregium occurrit exemplum in J. C. LODERS, *Journal für die Chirurgie Geburtshulfe und Gerichtliche Arzneykunde*, I. *B.* 2. *ſt.* *ſ.* 290 *ſeqq.*

curam agat obſtetricator requiritur; febrem lacteam praecaveat; diminuatve apto regimine, diaetâ levi, promovendo lochiorum fluxum, alvum liberam ſervando, diaphoreſi proſpiciendo ac ſaepius ubera neonato praebendo; febre lacteâ vehementiori eruptâ, medicamentis ſupra memoratis conditionibus reſpondentibus, praeſertim cauſis unde promanare videtur, adaptatis illi proſpiciat; puerperii ſemper rationem habeat, ad ſyſtema nervoſum irritabilius attendat; phlogiſtici ſi quid ſubſit antiphlogistico apparatu oppugnet; mala per partum aliisve de cauſis inducta ſanet.

CA-

CAPUT TERTIUM.

DE CAUSIS SECUNDINARUM SOLUTIONEM ABNORMEM REDDENTIBUS,

NEC NON

DE SYMPTOMATIBUS EXINDE OBORTIS.

§. 1.

Capite primo expoſuimus, quomodo natura partum ſecundum abſolvat, et ſecundinas expellat; altero capite vidimus, quomodo obſtetricator ſolutas ſecundinas e vaginâ educat, quâ ratione lenioribus auxiliis ſolutionem ſecundinarum promoveat, naturaeque langueſcenti novas vires quaſi ſuppeditet, ut magis tuto, cito ac jucunde hanc functionem abſolvat. Sic aliquando, ſic multoties accidit, ut ſecundinarum ſolutio ac expulſio in genere naturae viribus abſolvatur ac tuto illis committi poſſit.

Quis vero negabit, non ſemper naturae vires ad hanc functionem abſolvendam ſufficere? non raro partum ſecundnm obſtetricatoris attentionem, regimen, extractionem poſcere? enim enimvero uti aliae corporis humani functiones, ex abſentiâ unius pluriumve conditionum neceſſariarum turbantur impediunturve; quid mirum et hoc nonnumquam circa hanc functionem obſerva-

ri, quae, ut rite abſolvatur, tot tantasque requirit conditiones, ut quam facillime e maſa ageudi ratione obſtetricantium graviora nascantur incommoda.

§. 2.

Omnis aevi medicos de ſolutione ſecundinarum valde fuisſe ſollicitos, ac opiniones maxime diverſas hac de re coluisſe, patet, ſi eorum pervolvantur ſcripta; quum nonnulli defenderint, ſolutionem ſecundinarum non ſat cito posſe promoveri, ac vix ſibi tempus concesſerint, ad funiculum umbilicalem deligandum, uti HIPPOCRATES, CELSUS, PARÉ, MAURICEAU et DEVENTERUS (16). Alii e contra ſtatuebant ſecundinarum ſolutionem ſemper naturae viribus relinquendam esſe, et hujus functionis finem quiete esſe exſpectandam, vid. HUWÉ, CRANTZ, WEIZENBORN, VAN DER HAAR aliique (17).

Recte vero BAUDELOCQUIUS monet (18), „ talia praecepta „ generalia in medicina nihil valere, ſaepeque hominibus nociva, „ et foeminis lethalia fuisſe, caſus tamen exiſtere, in quibus con„ venit ſolutionem ſecundinarum per temporis ſpatium longius „ breviusve naturae viribus relinquere; caſus existere, in quibus „ natura ſuum ſcopum quidem attingeret, ſed ubi arte hoc opus „ facilius ac tutius redditur, ac tandem caſus exiſtere, quibus „ con

(16) Confer. *notae* 11 *et* 12 *in* §. 2 *Cap.* II.

(17) Vid. HUWÉ, *Onderwijs der Vrouwen, aangaande het kinderbaren, 2de druk, Haarlem* 1735, 8°, *pag.* 189 *ſeqq.* CRANTZ, *Einleiting in eine wahre und gegründete Hebammenkunst, Wien.* 1770, 8°. *Journal der Erfindungen Theorien und Widerſprüche in der Natur und Arzneywisſenſchaft,* XXII St. VAN DER HAAR, *over het zoo ſchadelijk als gevaarlijk afhalen van de Nageboorte aanſtonds na de geboorte van een kind, Amſterdam* 1797.

(18) Vid. BAUDELOCQUE, *l. c.* §. 902 *pag.* 394.

„ convenit, ſolutionem ſecundinarum cito promovere." Alii vero non magis convicti hujus ſententiae veritate, quam obſervatione peſſimarum ſequelarum, quae nonnunquam; ſolutione ſecundinarum naturae viribus commiſſâ, aut arte peractâ natae fuerunt, aliam in mediam protulerunt ſententiam; nimirum in genere naturae viribus ſolvendas ac expellendas eſſe ſecundinas, nonnumquam vero illarum ſolutionem arte eſſe promovendam; quae ſententia certe ceteris palmam praeripit, quamque omnes fere obſtetricatores hodierni amplectuntur.

Ut vero e hacce theoriâ aliquod in praxi redundet emolumentum, primo caſus debent determinari, in quibus ſecundinarum ſolutio naturae viribus eſt committenda, ac in quibus arte eſt promovenda. Secundo accurate conſtare debet de auxiliis artificiisque pro caſus diverſitate adhibendis: ſed in hac re aqua haeret, hacque in re maximopere a ſe invicem differunt auctores, hi in caſu dato ſecundinarum ſolutionem naturae viribus relinquentes, illi eodem in caſu arte illam promovendam eſſe ſuadentes; hi in caſu determinato quoddam remedium exhibentes, alii contrariae efficaciae auxilium offerentes, ac ſuam theoriam, additis obſervationibus tam ab unâ, quam ab alterâ parte confirmantes; quare nemini mirum videri potest, quam ſaepe in arte obſtetriciâ tiro vel obſtetricator juvenis anceps haereat, ac dubitet, quid de hisce ſit tenendum, quomodo ſeſe in caſu oblato gerere debeat.

„ *Dum enim natura humana*," ut clariſſimi GAUBII egregiis „ verbis utar," *ſtatis a creatore legibus finita, per ſimilia in-* „ *dividua ſeſe multiplicans, omni tempore eadem, ſub iisdem con-* „ *ditionibus eodem ſemper modo agit ac patitur.*" (19). Conſtat illos vel errorem in obſervando commiſiſſe, caſus diverſos pro caſibus ejusdem generis exhibentes, vel efficacem naturam medicorum errores ſuperaſſe. Quare nobis liceat ea proponere, quae no-

(19) Vid. CL. GAUBII, *Inſtit. Pathol.* §. 20 *pag.* 8 *ed. tertia, Ao.* 1781.

nobis de cauſis ac ſymptomatibus morboſae ſecundinarum ſolutionis probabilia videntur, ut hisce propoſitis curam illis adaequatam exhibeamus; quamvis litem per tot ſaecula agitatam, inter viros nec minus ingenii acumine, quam veritatis amore praeclaros ad finem perduci poſſe, nobis non perſuadeamus.

§. 3.

A variis auctoribus variae memorantur cauſae, morboſae ſolutionis ac retentionis ſecundinarum. J. RUËFFUS primus varias hujus mali cauſas aſſumſit, ac quinque propoſuit, nimirum 1°. debilitatem uteri, 2°. cohaeſionem nimiam ſecundinarum, 3°. uteri ac genitalium ſiccitatem, 4°. oſtii uterini intumeſcentiam, 5°. nimiam ejus contractionem (20), quae cauſae etiam a PARÉ memorantur (21). ASTRUCCIUS duas cauſas propoſuit, primam nimiam uteri craſitiem ac mollitiem, ob quas ſeſe profunde inter placentae protuberantias inſinuat; alteram, volumen nimium ac mollitudinem placentae, quamobrem majori uteri ſuperficiëi respondet (22). DE REUS etiam propoſuit duas hujus mali cauſas, ſecundinarum nimiam cohaeſionem ac incarcerationem (23). OSBORNIUS tres cauſas hujus vitii memorat. 1am Atoniam uteri, 2am contractiones uteri irregulares, ac 3am cohaeſionem ſecundinarum nimiam (24). OSIANDER quinque memorat cauſas morboſae ſecundinarum ſolutionis, quarum 1am auxilium apto tempore

(20) Vid. s. RUËF, *de conceptu et generatione hominis, Tiguri, Ao.* 1554, 4°.
(21) Vid. A. PARÉ, *in opere cit., pag.* 676 *Chap.* XVIII.
(22) Vid. ASTRUC, *L'art. d'accoucher reduit a ſes principes, à Paris, Ao.* 1768, 8°. *pag.* 168.
(23) Vid. DE REUS, *Naauwkeurig Onderwijs in de Vroedkunde, 2de druk, pag.* 126.
(24) Vid. *Eſſays on the practice midwifery in natural and difficult labours by* W. OSBORN, *London* 1792, 8°. *pag.* 38.

re ex opinione praejudicatâ, vel inſcitiâ non adlatum, 2^am^ conamina inepta ad ſecundinarum ſolutionem in corporis ſtatu erecto inſtituta; quibus funiculus umbilicalis rumpitur, ac placenta remanet, 3^am^ uteri ſpasmum, 4^am^ atoniam vel debilitatem, 5^am^ cohaeſionem nimiam (25). WIGANDIUS tandem ſex cauſas hujus mali recenſuit, 1^am^ uteri atoniam, 2^am^ ejus irregulares contractiones, 3^am^ nimiam cohaeſionem, 4^am^ cohaeſionem placentae loco a fundo uterino remoto, 5^am^ poſitionem ejus iniquam in oſtium uterinum, 6^am^ nimium ſecundinarum volumen (26). Quamvis meum non ſit determinare, quaenam e variis propoſitis cauſarum ſeriëbus aliis palmam praeripit, ſeriës a WIGANDIO propoſita nobis prae aliis arridet ac hocce ſchema ſumus inſecuturi, mutatis, quae nobis videntur mutanda: incipiendum nobis videtur a levioribus a ſtatu normali aberrationibus, ac ſic ad majoris momenti mala adſcendendum, 1°. loco agere conveniet, de uteri obliquitate, 2°. De veſicae ab urinâ diſtenſione. 3°. De nimio ſecundinarum volumine, 4°. De iniquâ ſecundinarum ſolutarum in oſtium uterinum poſitione, 5°. De cohaeſione placentae loco a fundo uterino remoto, 6°. De cohaeſione ſecundinarum nimiâ, 7°. De uteri contractionibus irregularibus, ſecundinarum incarcerationem producentibus, 8°. De uteri atoniâ;, in quantum nimirum haec mala uti cauſae morboſae ſecundinarum ſolutionis conſiderari merentur.

§. 4.

Si uteri diameter longitudinalis axi aperturae ſuperioris pelvis minoris non respondeat, obliquitate uterus laborare dicitur; ſicuti va-

(25) Vid. OSIANDER, *Grundriss der Ertbindungskunst, Gottingen, Ao.* 1802 II. *Th. pag.* 466.

(26) Vid. *Tract. cit.* §. 1.

variae cauſae durante graviditate hoc vitium producere valeant; ſic et post foetus expulſionem majori energeiâ in uterum agere valent, ac ejus obliquitatem verſus latus, quo jam durante graviditate haerebat, adaugent, mobilitate hujus organi increſcente, ac ob protruberantem columnam vertebralem, dextrorſum vel ſiniſtrorſum ſaepe ejus obſervatur obliquitas; et quidem plerumque dextrorſum, quae ab inteſtini recti directione ac inteſtinorum tenuium ad latus ſiniſtrum ſitu dependere videtur: antrorſum ſi inclinaret uterus, hoc a relaxatione musculorum abdominalium dependet. LEVRETUS ſtatuit uterum inclinare verſus illud latus cui placenta adhaeret, ac ejus obliquitatem a pondere ipſius placentae produci (27): experientia vero vetat, quo minus haec ſententia generaliter admitti posſit.

Unicum tantum pathognomicum ſignum hujus mali exſtat, quod habetur e globo uterino divergente ab axi aperturae ſuperioris pelvis minoris; oſtium enim uterinum non ſemper latus obliquitati oppoſitum ſpectat, nonnumquam praeſente hoc malo in pelvis axi haeret, nonnumquam verſus idem latus, quo uterus inclinat, tendit; collo uterino tubae in modum flexo.

Quamvis obliquitas uteri non tanta inducat mala, quanta quidem DEVENTERUS ſtatuit: quamvis minori in gradu vix ac ne vix quidem partui noceat, magna tamen ſi aberrartio ſit, nocere poteſt, ac tanta adferre obſtacula, ut naturae viribus foetus expelli nequeat, ſolutioque ſecundinarum impediatur; contractionibus enim non perpendiculariter in ipſam placentam agentibus, difficilius propellitur, virium dispendium fit, ac ſi magno in gradu hoc vitium obtinet, non poteſt, quin ſecundinas ad latus oppoſitum, minime ad ipſum oſtium uterinum pellant; et ſic nonnumquam obliquitas ejus

(27) Vid. LEVRET, *L'art des accouchemens &c.*, III. *Part. Chap.* I. *Art.* X. *pag.* 113 *ed.* 2 §. 633.

ejus incarcerationi anſam praebet (28). De curâ hujus mali videbimus §. 2. Capitis IV.

§. 5.

Si urinae excretio ſit impedita ac veſica lotio turgeat, verâ iſchuriâ laborat aegra (29). Hoc malum ſaepius occurrit ac variis a cauſis producitur, quae vel in ipſâ veſicâ vel extra eam haerent: ſic ab uteri extenſione ejusque in veſicam ſive potius in urethram preſſione durante graviditate non raro oritur (30); nec raro durante partu capite foetus urethram comprimente, producitur: quae ſpecies a SAUVAGESIO *iſchuria hyſterocyſtica* vocatur (31), ac expulſo foetu plerumque ſanatur: et a ſpasmo ſphincteris veſicae, a lotio (ob pudorem male locatum) nimis diu cohibito, atoniam veſicae inducente nonnumquam oritur (*Iſchuria polyurica* SAUVAGESII (32)). Dijudicatur hoc malum, expulſo foetu, ex urinae retentione cum continuo mingendi deſiderio, e ſenſatione ponderis in regione hypogastricâ, pube et perineo, ac alterius tumoris ſupra oſſa pubis, attactum non ferentis; e tumore in vaginâ obvio, ac inſigni urinae quantitate, quae ſuperata iſchuriae cauſa ſemel ac ſimul excernitur.

Veſica tantâ urinae copiâ onusta, post foetus expulſionem gravitate ſuâ pelvis minoris capacitatem petit, eamque adimplet

(28) BAUDELOCQUIUS *L. L. a* §. 274—§ 301. VAN DOEVEREN, *Specimen Obſerv. Acad., Groning. et Lugd. Batav., Ao.* 1765 4°. *pag.* 163 *et ſeqq.* STEIN, *Theoret. anleit. zur Geburtshülfe*, I. *Th. a* §. 371—377 *et* II. *Th.* §. 486—§. 487, et ROEDERERUS, *Elem. artis Obſtetricae*, *Caput* XVII. *Sect.* II. *a pag.* 199 *ad* 220 *ed tert. Ao.* 1766.

(29) Conf. OOSTERDYK SCHACHT, *Inſtit. Med. Pract. Lib.* VIII. *Cap.* 9 §. 1.

(30) Vid. MAURICEAU *L. L. Lib.* 1. *Chap.* 15.

(31) Vid. SAUVAGESII, *Noſol. Method., pars* II. *Tom.* III. *Cl.* X. *ordo* 3. *Num.* 17 *ſp.* 28 *ed. Amſtelodami, Ao.* 1773 *pag.* 390.

(32) Vid. *L. L. ſp.* 22 *pag.* 387.

plet, ac ſuo volumine ſecundinarum expulſionem impedit ac cauſa non normalis ſolutionis ſecundinarum ſiſtit.

§. 6.

Quo melius ſeſe placenta quoad formam, volumen conſiſtentiam ac fabricam habet, eo citius ac facilius ſolvuntur atque expelluntur ſecundinae: uti §. 2. *Cap.* 1. dictum fuit. Quo magis igitur placentae forma, volumen, conſiſtentia, ac fabrica a ſtatu normali aberrat, eo tardius ac difficilius ſecundinarum ſolutio ac expulſio naturae viribus perfici poteſt.

Placenta rite conſtructa est rotunda, diametri ſex vel ſeptem pollicum, crasſitiëi ad centrum pollicem adaequantis, conſiſtentiae carneo-ſpongioſae. Talem placentam in utero eſſe praeſentem post foetus expulſionem conjicimus, e minori volumine, majori duritie, formâ rotundâ globi uterini nec non e conſiſtentiâ partis placentae per oſtium uterinum protuberantis atque e funiculo umbilicali robuſto a tali placentâ dependente.

Vario modo placenta, a normali illâ conditione ſaepe aberrat, absque ut harum aberrationum cauſas efficientes ſaepe perſpicere poſſumus; ſic volumine nonnumquam peccat, quod vel a conjunctione placentarum Gemellorum vel Trigeminum dependet, vel ab immodico nutrimenti ſuae naturae appropriati appoſitû (33) ac plerumque obſervatur in parturientibus ſanis, plethoricis bene nutritis, conceptionis producto generaliter valde evoluto; obſervatur tamen nonnumquam in parturientibus debilibus, ac emaciatis, ut diceres majorem illam evolutionem in detrimentum corporis materni accidiſſe nonnumquam etiam quoddam invenitur proportionis vitium inter foetum ac ſecundinas, ut nunc majores ſecundinae foetum pufillum ac vice verſâ ſecundinae ſolito minores,

(33) Vid. CL. GAUBII, *Inſtit. Pathol*, §. 261.

res, foetum robuſtum inſequantur; ſic ut nullum exſtat indicium, quo talem placentam in utero eſſe praeſentem determinare poſſimus.

Non raro placentae forma mutata obſervatur, ſic induit formam oblongatam (*belg. raketvormig*) cordiformem, ſic lobata ac vario modo diviſa occurrit; quae formae diverſitas ſecundum LEVRETIANAM opinionem, a variâ formâ loci, quo placenta in utero inſeritur, dependet: e. g. fundo uteri adhaerentes placentae rotundae ſunt, lateribus oblongatae adhaerent, et ſic porro (34). Quamvis vero haec ſententia non ſemper et ubique experientiae quadrat, uti monuit BAUDELOCQUIUS (35), tamen ſaepiſſime ita ſeſe res habet ac in genere admitti poſſe haec ſententia videtur.

Nonnumquam etiam organicae fabricae vitium obtinet, et ſtructura ſecundinarum vitiata poteſt in cauſâ difficilioris ſolutionis ſecundinarum eſſe (36): ſic in foeminis cachecticis, phlegmatici temperamenti, quarum ſolida in genere ſunt laxa ac flaccida, placenta plerumque valde est ampla, craſſitiëi ſolito minoris, laxa ac flaccida (37).

Nec rara est ejus in hydatides degeneratio, quae ſi majoris ſint voluminis, eadem partui ſecundo obſtacula opponunt, ac ſecundinae volumine peccantes (38). Nonnumquam ſuperficies pla-

(34) Vid. LEVRET, *Suite des Obſervations ſur les cauſes et les accidens de pluſieurs accouchemens laborieux*, *Art.* II. *Sect.* VI. *pag.* 112 *ed Ao.* 1751.

(35) BAUDELOCQUE *L. L.* §. 483.

(36) Anno praeterito ab aeſtumatiſſimo Praeceptore G. SALOMON placentam accepi, (cujus iconem ſervo) cujus ſtructura valde vitiata erat, pro majori enim parte ex adipe conſtabat, cui vaſa ſanguifera intertexta erant. Foetûs, ad quem pertinebat, optimâ fruebatur valetudine, ac facillime naturae viribus ſoluta ac excuſſa erat placenta.

(37) Vid. ASTRUC, *L. C. pag.* 168.

(38) De hoc malo conferri merentur RUISCH *Adverſ. Anat. Med. Chir. Dec.* II. *Obſ.* X. *pag.* 32, et ejus *Obſerv. Anat. Chirur. Cent. Obſervat.*

placentae parieti uteri obversa, arenulis ac lapillulis obsesa fuit observata; uti ex observationibus GALLANDATII ac MULDERI patet (39). Causa hujus mali rarius observati nos latet, liceat interim (quamvis hac de re ceterum sum alienus) hypothesin circa mali naturam in medium proferre. Quum ad articulos Arthriticorum saepius deponantur calculi; quum plures homines per totam vitam cum lotio arenulas ac lapillulos excernunt; sanguinis quamdam dyscrasiam in illis assumi posse credo: e quâ hoc vitium promanat, quare non omni probabilitate carere sequentem opinionem puto. Quamvis sanguis menstruus sit arteriosus in genere sanus, continet tamen saepe heterogenea quam plurima, quae retenta nocivos procreant effectus; nonne ergo a foeminâ ad calculos praedispositâ, menstruatione tales arenulae ac lapilluli possent excerni? illos, ni fallor, excrevit foemina de quâ GALLANDATIUS mentionem fecit; e vehementioribus enim cruciatibus, quos menstruationis tempore pateretur, hoc conjici potest. Nonne durante graviditate ad idem illud emisarium delati ansam praebere possent generationi placentae talibus calculis obsesae, quum evolutioni foetus et ovi hicce sanguis impendatur?

Rite hoc organicum secundinarum vitium distingui debet ab alio de quo LEVRETUS mentionem fecit, nimirum de maculis livescentibus cum annulis cartilagineis cinctis, in partibus secundinarum

XXVIII, XXXIII *et* LVIII. *Ephemer. Nat. Curios Dec.* III. *Ao.* 5 *et* 6, *Observat.* 337 *pag.* 460. G. C. DE GREGORINUS, *de hydrope uteri et de hydatidibus in utero visis aut ab eo expulsis, Halae Ao.* 1795, 4°. *pag.* 40 *seqq.*, et BAUMER, *Programma, de placent: uterin: in molas vesicarias mutatione, Giess Ao.* 1776.

(39) Vid. GALLANDAT, *Verhandelingen uitgegeven door het Zeeuwsch Genootschap der Wetenschappen te Vlisingen, Pars* V, *pag.* 452 *seqq.*, et MULDERUS, *Prijsverhandelingen van het Amsterdamsch Genootschap der Heelkunde,* 6 *Dl.* 2 *St. pag.* 230.

rum obviis quae durante graviditate ſolutae ſunt (40), quod vitium WIGANDIUS cum deſcripto confundere videtur (41).

Cognoſcitur hoc vitium ex uteri contractionibus per totum partus decurſum frequentioribus ac vehementioribus, quae expulſo foetu adeo violentes fiunt, ut inde dire foemina convellatur ac vigentibus contractionibus ſaepe leipothymiâ corripiatur, quae contractione remittente remittit: haec ſymptomata, ni fallor producuntur ab acutis his corporibus uterum inſolito adficientibus ac ſtimulantibus.

Memorata placentae vitia ſecundinarum ſolutionem ac expulſionem difficiliorem reddere debere unicuique patet; nam ſi majus placentae volumen ſit, majori ſuperficie utero adhaeret, majores vires, majusve tempus ad ſolutionem perficiendam et propellendas ſecundinas requiruntur. Laxioris ſi fabricae ſit, non ſufficienter reſiſtit utero ſeſe contrahenti, comprimitur, minori uteri ſuperficiëi ſeſe accommodat, ac ſecundinarum ſolutio difficilior evadit: non aliter ac manus quae a cerâ inſpisſatâ facilius ſolvitur, quam a liquatâ cerâ, quae firmiter manui adhaeret ac ſeſe ſecundum ejus motus movet ac componit, uti egregie dixit WIGANDIUS (42). Figura ſi ſit mutata, contractionesque minus regulariter in ipſam placentam agunt, aut ſi lapillulis vel arenulis placenta obſeſſa ſit, nexu ſimul plerumque peccat, ac ob ingentem ab hiſce heterogeneis corporibus excitatum dolorem parturientes non rite contractiones promovent, aut actione preli abdominalis illis majorem concedunt vigorem.

§. 7.

(40) Vid. LEVRET, *L'art des accouchemens &c. Troiſ. Part. Chap.* II. *Art.* IV. *Sect.* 2, *pag.* 143 §. 800, *ed.* 2. *Ao.* 1761, 8°.

(41) Vid. WIGAND *L. C.* §. 6 *pag.* 106.

(42) Vid. WIGAND *L. C.* §. 10 *pag.* 160 *et ſeqq.*

§. 7.

Quum requiratur ut Foetus cito ac facile in lucem edatur, ut ejus dimenſiones minimae aptisſimis pelvis diametris reſpondent (43), ſic et idem problema de ſecundinis valet, quae eo facilius expelluntur quo melius illarum dimenſiones minores aptisſimis pelvis diametris reſpondeant; quo accuratius placenta in formam coni vel cylindri convoluta, ſuam peripheriam oſtio uterino obferat. Sed uti leviores aberrationes facile ferunt-tur, nec foetus expulſioni obſtaculum opponunt, ſic etiam facilius placenta cujus volumen volumini foetus ſemper cedit, per oſtium uterinum vaginamque jam jam dilatatam propellitur, quamvis non rite ejus dimenſiones pelvis diametris reſpondeant. Eo in gradu ejus dimenſiones aberrare posſunt ut difficillima inde ejus expulſio evadat: ac ſi cum ſuperficie ſuâ amplâ et latâ oſtio uterino incumbat, a naturae viribus aegre tantum vel perfecte non propelli poteſt, nec minus difficile ſecundinae expelluntur, ſi ſanguis extravaſatus uterinus inter membranas replicatas colligitur, qui illis enorme volumen concedere poteſt.

Prava ſecundinarum in oſtium uterinum poſitio cognoſcitur, ex abſente vel nimis parvâ quantitate praeſente haemorrhagiâ uterinâ; durante ſecundinarum ſolutione, e loco inſertionis funiculi umbilicalis, ac ex oſtio uterino plenarie obtecto vel oppleto ab aequali et glabrâ ſuperficie placentae.

Membranarum replicatarum a ſanguine oppletio ac diſtenſio cognoſcitur e ſenſatione veſicae tenſae, qualis in ſecundo partus momento adeſſe ſolet (44).

§. 8.

(43) Vid. A. VAN SOLINGEN, *Het werktuiglijke der Verlosſing, &c. Sect. 4.* §. 52 *pag.* 38.

(44) Conf. WIGAND, *L. L. pag.* 154 *et* 162.

§. 8.

Quum post foetus expulsionem uteri fundus prae aliis hujus organi partibus contrahatur, ejusque contractiones majore vigore sint praeditae, placenta huic uteri parti annexa citius ac facilius solvitur, quam si alii uteri parti adhaereat, quare placentae insertio loco a fundo uterino remoto, difficilioris solutionis secundinarum causam constituat.

Quamvis magis uni quam alii uteri parti sese placentam nectere experientia probat, omni tamen hujus organi superficiei sese conjungere potest, absque ut rationem sufficientem reddere valeamus causae varii, quo inseritur loci (45); sic anteriori vel posteriori, laterali dextrae vel sinistrae parti corporis uterini, sic ipso collo ac ostio uteri nexa invenitur. Symptomata pro diversitate cohaesionis loci differunt, tertio partus momento nonnumquam per integumenta externa de situ placentae judicare possumus; certum signum e directione funiculi umbilicalis petitur; verum ex ipsius uteri directione minus certe de situ placentae judicari poterit, uti §. 4. Cap. III. monuimus. Collo uteri si adhaereat placenta, e parte illâ prominente dijudicari poterit. Ostio uterino si placenta sit irradicata symptomatibus pathognomicis hoc malum indicatur, de quo, quamvis solutionem secundinarum non impediat, ob vitii gravitatem paulo accuratius agemus.

Insertio placentae in uteri orificium ac ejus cervicem vel est completa vel incompleta; completa dicitur, si centrum placentae centro ostii uterini respondeat; incompleta si ab eodem recedat. Graviditate longe adhuc ab ejus termino remotâ hoc vitium vix detegitur, quum nullum molestum symptoma producat, quod ab aequali uteri et placentae expansione derivandum videtur; graviditate vero ad finem ver-

(45) Vid. OSIANDER, *De causis insertionis placentae in uteri Orificium excet.*, *Getting. Ao.* 1792.

vergente, menſe ſexto, ſeptimo, octavo vel nono, leviores nascuntur haemorrhagiae uterinae, poſt breviores longioresve intermiſſiones absque cauſâ manifeſtâ redeuntes (46), quae promanant ex inferiori uteri ſegmento, ſe nunc imprimis expandente, ac exinde profluente majori minorive ſolutione placentae partiali. Si vero incompleta ſit placentae in oſtium uterinum inſertio, ſanguinis profluvium gravidam nonnumquam denuo corripit, doloribus praeparantibus invadentibus; uti hoc ante paucos dies in Noſocomio Academico ſub praeſidio Cl. ac aeſtumatisſimi Praeceptoris M. S. DU PUI obſervare mihi contigit. Partu vero invadente, oſtio uterino ſeſe aperiente, uteri collo evanescente, locus in placentâ ab utero vacuus oritur, ſanguinis profluvium augetur, et vigentibus uteri contractionibus increscunt haemorrhagiae, quum uterinae haemorrhagiae ex aliâ cauſâ promanantes e contractionibus hujus visceris ſiſtantur, imminuanturve; oſtium uterinum molle ac in aequale corpus occupat. Quam grave igitur hoc malum ſit, quam peſſimae ſequelae ex inſertione placentae in oſtium uterinum promanent! nam illae haemorrhagiae ſemper in detrimentum corporis foeminini, foetusque fiunt, ac cura radicale durante graviditate non poteſt inſtitui, quum a graviditate, ut a ſuâ cauſâ dependeant: conferantur de illo malo DENYS, MAURICEAU, PETIT, BAUDELOCQUE, DOUGLAS, BOND, FRORIEP, ac HEPFTER (47).

§. 9.

(46) Nonnumquam graviditate minus provectâ oriuntur haemorrhagiae, uti monuit VAN DOEVEREN *L. L. Cap.* 10 *pag.* 150 *et* 160.

(47) Vid. DENYS, *Verhandeling over het ampt der Vroedmeesters*, enz. *Lugd. Bat. Ao.* 1734 *pag.* 560. MAURICEAU *L. L. Liv.* II. *Chap.* 27 *pag.* 253. PETIT *Hiſtoire de l'Acad. Roy. des Sciences*, *Ao.* 1723 §. 2 *pag.* 37. BAUDELOCQUE *L. L.* §. 976 *ſeqq.* DOUGLAS *in Medic. communications vol.* I. *pag.* 107 *ſeqq.* BOND, *Diſſ. de placenta ad oſtium uterinum applicata.* L. F. FRORIEP, *Theor. Pract. Handbuch der Geburtshülfe*, 8°. *ed* 4a., *Weimar* 1810 §. 227. *pag.* 230. C. F. HEPFTER, *Diſſ. de placenta praevia*, *Lipſiae Ao.* 1804 4°.

§. 9.

Si tela celluloſa placentam cum utero nectens nimis ſit tenax ac firma, ſecundinarum ſolutio inde difficilis vel plane ἀδύνατον evadit, ac pro gradu majori minorive hujus vitii pro majori minorive energeiâ contractionum uteri facilius, difficiliusve, aut plane non a naturae viribus diſſolvi poteſt.

Quamvis cauſae hoc malum producentes majori pro parte nos lateant, tamen e modo, quo natura generaliter nexum inter uterum et placentam efficit probabilem conjecturam de origine hujus vitii formari poſſe nobis videtur; quam igitur hic exponendam eſſe putavimus.

Genitalibus muliebribus oeſtro venereo calentibus, in ſtatu ſubphlogiſtico verſantibus, conceptione factâ, vaſa uterina lympham plaſticam plorant, cui membrana decidua HUNTERI ſuam originem debet; chorii vero vaſa dein increscentia, ſe in hanc membranam inſinuant, radiculas figunt, ac origini placentae anſam praebent (48); quae ergo ope membranae deciduae illius telae celluloſae utero nectitur, uti vero pſeudomembranae ex inflammatione diverſarum partium e. g. pleurae, peritonaei, inteſtinorum &c. ortae, quo ad firmitatem ac quantitatem differunt, pro gradu inflammationis ac variarum conditionum accidentalium diverſitate; ſic et celluloſum nexum inter uterum ac placentam e phlogoſi ortûm a majori praegreſſâ inflammatione firmiorem evadere, probabile nobis videtur: cui conjecturae favet HAMILTONI, OSBORNII, OSIANDRI

(48) Vid. A. HALLER, *Elem. Phyſiol.*, *Tom.* VIII *Sect.* I §. I, *pag.* 27. BLUMENBACHIUS *Inſtit. Phyſiol. Sect.* XXXIX. §. 564 *et* §. 565 *pag.* 437 *et* 440 *ed. Ao.* 1798. G. HUNTER, *Anat. uteri gravidi Tab.* XV. *Fig.* 5, *Tab.* XXIX. *Fig.* 3, *Tab.* XXXI. *Fig.* 3. FORSTER, *Quaest. Med. Sel.*, *pag.* 71—73. VAN SOLINGEN, *Verhand. van het Zeeuwsch Genootſchap &c.*, IX. *Dl. pag.* 392 *ſeqq.* E. SANDIFORT, *Obſerv. Anat. Pathol.*, *Lib.* II. *Cap.* I.

DRI ac SIEBOLDII ſententia (49), nec minus conditiones phlogoſi faventes, uti laeſiones fortuitae praegresſae, abuſus ſpirituoſorum, obeſitas, ac quies nimia, quibus praeſentibus hoc malum occurrit. A. WIGANDIO etiam inter cauſas cohaeſionis nimiae ſecundinarum recenſentur partialis placentae ultimis quatuor graviditatis menſibus ſolutio ac nimis ſtricta uteri ſtructura (50); quomodo vero hae conditiones quidquam conferre poſſunt ad nimis firmum placentae cum utero nexum producendum ignoro, quum in primo caſu partes ſemel ſolutae ſe numquam de novo cum utero conjungant, uti monuit LEVRETUS, ac ſolutionem ſecundinarum igitur difficiliorem reddere nequeant, nec ob uteri fabricam magis compactam ſtrictior evadat tela celluloſa, nexum efficiens.

Symptomata ab hoc malo producta differunt prouti vel tota placenta nimis firmiter cum utero nexa ſit, vel tantum pars quaedam. Durante graviditate dolor obtuſus circumſcriptus, corporis motu increscens in utero obſervatur (51); durante partu uteri contractiones ſolito ſunt vehementiores ac frequentiores, pars uteri cum quâ cohaeret placenta dolet, quod a tenſione ac diſtractione uteri ſeſe ab adhaerente placentâ liberare conantis, dependet, pulſus eſt durus fortis ac tenſus, calor ac ſitis urgent. Excuſſo foetu, placenta, vigentibus contractionibus oſtium uterinum non occupat; globus uterinus eſt duriſſimus unâquâque contractione vehemens dolor excitatur; abdomen parturientis adeo ſit ſenſilis, ut induſii preſſionem non amplius ferat, ac tandem con-

(49) Vid. HAMILTON, *Outlines of the Theory and Practice of midwifery, Edinburg Ao.* 1784, 8º. *a pag.* 200—223. OSBORN *L. L. pag.* 38 *ſeqq.* OSIANDER, *Grundriſz der Entbindungskunst, Göttingen* 1802 *Th.* II. *pag.* 467. SIEBOLDS *Lucina*, II. *B.* 1 *ſt. ſ.* 126.

(50) Vid. WIGAND *L. L. pag* 106—111.

(51) Vid. STOLLER, *Beobachtungen und Erfährungen aus innern unſern Heilkunst, Götha Ao.* 1777. Conf. *Biblioth. Chirurg.* RICHTERI, IV. *B.* 3 *ſt. pag.* 402.

continuatae uteri contractiones, ſi parturientis vires non ſufficiant ad non normalem ſecundinarum nexum ſolvendum, quo ad quantitatem et energeiam imminuuntur et penitus dein ceſſant.

Si vero nexus nimius placentae non ſit generalis, ſed tantummodo (ſalvo nexu normali majoris placentae partis,) pars quaedam nimis firmiter cohaereat, alia ſymptomata ſeſe praecedentibus jungunt: parte quâdam ſolutâ, ex uteri plagâ illi placentae respondente, vel durante partu, vel illo abſoluto, majores minoresve oriuntur haemorrhagiae majus, minusve periculum inducentes, ac globus uterinus, dum ceterum ſit globoſus et aequalis, nunc ſuperficiem duram, inaequalem anguloſam exhibet, quod a minoribus uteri inverſionibus dependet; quum enim omnes vires impenduntur ad placentam ad oſtium uterinum vaginamque pellendam, partes uteri quibus adhucdum cohaeret intro trahuntur ac ſic leviores nascuntur inverſiones asperis lineis circumſcriptae.

Effectus nocivi e nexu nimis firmo placentae ſaepe profluentes ſunt, quod vel uteri contractionibus vehementioribus ſolutâ placentâ, foemina tandem feliciter liberatur a ſuâ anxietate, ejus doloribus tam diris, et a periculo ſibi imminente expulſione ſecundinarum; vel quod uteri contractionibus ad nexum nimium ſolvendum non valentibus, foemina viribus exhauſtis, omnia mala e vehementiori diſtractione ac dilaceratione uteri promanantia perpeti debeat: uti ſtructurae mutationes, ejus inflammationem, aliaque mala e nimis diuturnâ morâ ſecundinarum in utero profluentia, de quibus deinde §. 11. Cap. IV. agemus.

§. 10.

Ut rite ſolutio ac expulſio ſecundinarum procedat, requiritur ut uterus aequaliter ſeſe contrahat, quod ſi non contingat, ſi ſeſe citius ac fortius uteri pars quaedam contrahat, quam

reliquâ hujus organi ſubſtantiâ tunc ſecundinae retinentur, incarcerantur. Irregulares uteri contractiones, ſpasmi, dolores ſpasmodici dicti per omnem uteri ambitum, praeprimis tamen per ejus corpus ac oſtium obſervantur, ac non ſolum poſt foetus expulſionem, ſed et per totum partus decurſum non raro adſunt. Huic malo praedisponit ſyſtema nerveum nimis irritabile, ac ut cauſae occaſionales recenſeri merentur, omne id qualecunque, quod aliquam uteri partem nimis ſtimulat, vel illam paralyſi adficit; ſic, utero obliquo, pars determinata colli uterini adeo inter foetum et pelvis marginem comprimi ac contundi poteſt, ut prorſus paralytica evadat, nec ad foetum expellendum quid conferre queat; aut expulſo foetu, ſanis partibus ſeſe contrahentibus, contrahi nequeat, ac in cauſâ incarcerationis ſecundinarum ſit. A pravâ foetus in utero poſitione e. g. ſi ejus axis longitudinalis diametro uteri transverſali respondeat, nonnullae partes uteri ſic extendantur, ut paralyſi adfectae nec ad foetum nec ad ſecundinas expellendas quid conferant, et dum ſuum volumen ſervent, reliquis uteri partibus ſeſe contrahentibus, incarcerari ſecundinae posſunt; prae primis ſi non fundo ſed corpori uteri adhaereat placenta. Huic malo inſuper anſam praebet nimis celeris foetus eductio ſive per verſionem, ſive per inſtrumentorum applicationem, quando fundo uterino ſufficiens tempus non concedatur ut ſeſe pro ratâ foetus eductione contrahat, ac e contrâ collum ac oſtium uterinum non ſat ſaepe dilatata, nimis celeri foetus transitu inſolite ſtimulantur, ad majores contractiones incitantur, contractionibus fundi uterini minime adaequatis. Huic malo inſuper anſam dat, cohaeſio ſecundinarum nimia, unde pars quaedam uteri nimis ſtimulatur ac dilaceratur, porro frictiones in globum uterinum male vel intempeſtive applicatae (52), dein laeſiones vel vulnerationes oſtii colliqué uterini, denique aëris frigidi acceſſus ad genitalia vel incau-

(52) Conf. *nota* 15. *ad* §. 3. *Cap.* II. ibique *cit. aut.*

cauta inſtrumentorum frigidorum applicatio, unde ad contractionem oſtium uterinum ſtimulatur.

Primis partus momentis contractiones uteri irregulares, dolores ſpasmodici vagi vel ſpurii ſaepe obſervantur, qui foetus expulſionem admodum difficilem reddunt: ac quum ex illorum praeſentiâ malum futurum cum quâdam certitudine dijudicari posſit, ſymptomata primis partus momentis exinde orta noſtram merentur attentionem. Spasmodicae uteri contractiones majorem dolorem parturienti inferunt, ac circa umbilicum ac uteri corpus percipiuntur, dum veri dolores e lumbis ad pelvim quaſi deſcendunt; periodi intermediae in quibus doloribus vacat parturiens, comites inſeparabiles dolorum partum vere promoventium, adeo parturientibus ſalutiferae, non obſervantur. Continuo majori minorive vehementiâ contractiones uteri vigent (53), quaedam pars uteri ad adtactum dolet, contracta videtur, ac vigente dolore et etiam illo evanescente magis quam reliquae uteri partes dura ac tenſa est: uterus videtur ligaturâ transverſali circumdatus ac contractus: foetus a contractionibus inaequaliter premitur, ac ideo ſeſe inſigniter movet, caput ſitum conſtantem non ſervat; ſi ſpasmi oſtium uterinum occupant, tunc non tantum contractione vigente durum tenſum ac ſenſile eſt, ſed quum in ſtatu normali deſcendat nunc ſeſe elevat ac retrahit, ſenſilitas ac tenſio remanent dolore evaneſcente, ſtranguriâ laborat parturiens, pulſus est parvus, celer, ac contractus.

Foetu excuſſo, ſi malum oſtium uterinum occupet, ex ejus ſenſilitate, conſtrictione, duritie, minori ſanguinis profluvio, cognoſcitur; nec minus, quod, dum a veris uteri contractionibus deprimatur oſtium uterinum, nunc e contra adſcendat ac ſuam tenſionem ſenſibilitatemque dolore evaneſcente ſervat: globus uteri-

(53) Eadem ſymptomata etiam obſervantur ſi iniqua eſt foetus poſitio.

rinus nimis magnus ac mollis eſt, nimis ab aperturâ pelvis minoris diſtat.

Si ſpasmus corpus uteri occupet, tunc clypſedrae figuram exhibet, cujus ſuperior pars ad umbilicum usque ſe extendit; ac quamvis uteri vehementiores adſint contractiones, tamen placenta non deſcendit, aut quidquam ſecundinarum in oſtio uterino invenitur, uteri volumen non imminuitur, aut major ejus durities evadit, pars contracta ad adtactum dolet, ac interea non raro majoris momenti haemorrhagia adeſt, quae ſeſe vel foras monſtrat, vel in uteri cavo, (clauſo exitu a ſanguine coagulato vel parte placentae prominente) colligitur; ab interiore ſi examinetur uterus refert figuram coni ſive ſacci inverſi ad cujus apicem foraminulum invenitur, per quod funiculum umbilicalem tranſit. Varia mala ab hoc vitio producuntur, diverſa pro diverſis conditionibus accedentibus; aliquot enim horis praeterlapſis, ſpasmus ſponte vel aptis adhibitis remediis ſolvitur nec amplius ſeſe ſolutioni ſecundinarum opponit, ſed illis liberam concedit viam; aut haemorrhagiae e partiali ſolutione ſecundinarum ortae parturientem invadunt, quae dum via ad ſecundinas obſtetricanti ſit praecluſa, periculoſisſima nonnumquam producunt ſymptomata, non ſemper aeque facile ſuperanda; vel ſi ſpasmus non remittat, placenta eas ſubire debet mutationes, quae ex ejus morâ nimis protractâ in utero profluere debent, nimirum putreſcit, ac perpeti debet parturiens omnia illa mala, quae a putreſcentibus ſecundinis ſeparari nequeunt.

De curâ hujus mali conferri poteſt §. 8. *Cap.* IV.

§. 11.

Ut debita cum energeiâ ſeſe uterus poſt foetus expulſionem contrahat, praeprimis requiritur, ut ſecundinarum ſolutio cito ac facile procedat, uti hoc §. 2. *Cap.* I. monuimus. Contacti-

li-

litate hujus organi fractâ, atoniâ magis minusve completâ praesente, secundinarum solutio ac expulsio inde non solum retardatur, sed et periculosissima symptomata sese huic functioni sociant. Ut rite hoc vitium cognoscatur, ut certa prognosis vel de malo futuro, vel de tempore, quod natura ad partum absolvendum impendere debet, formetur, ut aptis medicamentis tam internis quam externis malam praesens vel incipiente partu, vel post foetus expulsionem non solum tollatur, sed et aptâ prophylacticâ curâ praecaveatur; non erit inutile ut causas hoc malum producentes ac symptomata hujus vitii exponam.

Uteri atonia directa observatur praesente universali parturientis debilitate, sive quod ea dependeat ab imperfectâ evolutione ejus corporis, ac igitur congenita sit, sive quod sit sequela potentiarum praegressarum debilitantium, uti diarrhoeae, haemorrhagiae ac blemorrhagiae diuturniores ac vehementiores toti corpori ut et utero debilitatem inducentium. Observatur saepissime uteri atonia aetate parturientis nimis vel non sufficienter provectâ; nam in altero casu foecunditatis termino ad finem vergente, quamvis debita sit partium uterum componentium cohaesio ac firmitas, vires vitales hujus organi deficiunt, torpore laborat uterus, quare ejus contractiones sunt lentae ac debiles; in altero casu, propter solidi compagis debilitatem, propter uteri laxitatem partus negogotium non rite procedit; quare, nec non propter alias rationes, optandum foret, ut illâ aetate, quâ ad functiones genitales absolvendas, quâ propter partium genitalium vigorem conceptionis, nutritionis ac partus negotium optime procedit, foeminae matrimonium inirent; ac corpore adhuc non rite evoluto, aut bene ad functionem genitalem peragendam apto, a matrimonio desistere cogerentur, aetate aptâ praeterlapsâ, functione genitali fere emeritâ: si enim annales artis obstetriciae pervolvantur, quam plurimi partus lenti ac periculosi, quam plurimae monstrositates vel conformationis foetus vitia observantur in foeminis aetate provectiore

par-

partum enitentibus. Atoniam uteri potisſimum producunt partus multiplices tardi ac difficiles, totum corpus ac praeſertim generationis organa debilitantes, nec minus huic vitio anſam praebent, haemorrhagiae uterinae vehementiores; nam uti omnes functiones e jacturâ hujus fluidi vitalis tardiores evadunt, nec debitâ cum energeiâ peraguntur, ſic uterus, quum hic primarie adficietur, prae aliis organis patitur, ejusque functionibus praeſertim turbatis, aſthenia directa oritur. Alia hujus vitii cauſa eſt adfectio morboſa hujus organi per compreſſionem, lapſum vel ictum et cet: quae cum uteri ſtructuram mutent, fibras ejus dilacerent vel a ſe invicem removeant, contractilitatem hujus organi frangunt: idem id obtinet, ſi uterus inſigniter ſive per juſto majorem liquoris amnios quantitatem, ſive per gemellos vel trigeminos extendatur, quando prae nimiâ extenſione tonum ſuum amittit: producitur porro illud vitium ab irregulari uteri extenſione, ſi e. g. axis foetus longitudinalis diametro uteri transverſali respondeat, quando partes nonnullae ob nimiam diſtenſionem fiunt paralyticae, uteri contractiones evadunt debiles, majorem dolorem inferunt, ac tarda eſt ſecundinarum ſolutio ac expulſio: vulnera porro pariëtis uteri interni (operatione incautâ inductâ) uteri atoniam et phlogiſticum ſtatum producunt. Animi pathemata praeſertim deprimentia, uti terror et anxietas varias in oeconomia animali turbas producere valent, ſic et uteri actionem ſuſpendere, contractiones hujus organi impedire, ſolutionem ac expulſionem ſecundinarum, periculoſam reddere; aut, retardare posſunt, atque in debilitatis parturientibus periculoſisſimae haemorrhagiae anſam non raro praebent.

Indirecta uteri atonia ſaepe producitur a partu laborioſo vel nimis praecoci; nam quum, vel capite foetus nimis voluminoſo, aut coarctatâ pelvi difficilius propellatur foetus, ac uterus ad hanc functionem abſolvendam vehementiores adhibeat contractiones, ita atonicus tandem fit, ut aliquid temporis exigeat ad novas-

vas vires colligendas, quae ſecundinas expellant, vel in foetu expellendo natura non raro ita praeceps, ut uterus ſe non rite contrahere ac foetum inſequi queat, quare ex hac cauſâ difficilis ac tarda evadat ſecundinarum ſolutio, nec raro periculoſa oritur haemorrhagia; exinde ſequens axioma ortum videtur, *quo citius expellitur foetus, eo tardius ſecundinae prodeunt.*

Tandem alia atoniae uteri cauſa exſtat, ut egregie monuit WIGANDIUS (54), nimirum uteri adfectio Rheumatica. Quum refrigerium in omnibus partibus corporis humani, musculis ac nervis praeditis, morbos rheumaticos producere valeat; ſic refrigerium totius corporis, praeſertim pedum ac abdominis, neceſſe uteri rheumatismum producere debet in gravidis, quarum uterus ob ſtructuram primitivam, vel ob partus praegreſſos difficiles, pars ſit debiliſſima: ut enim refrigerio tam ventriculus ac inteſtina, quam alia abdominalia organa adficiuntur morbis rheumaticis, ſic et uterus musculis ac nervis praeditus, refrigerio prae aliis organis durante graviditate expoſitus, certo citius affectione rheumaticâ laborare poteſt. Integumenta enim communia, unicum uteri tegmen contra aëris injurias, ad quamnam tenuitatem durante graviditate non ſunt redacta? quomodo a formâ veſtimentorum plerarumque foeminarum, a tunicis longe de corpore diſtantibus accesſus aëris promovetur? et quum uterus careat omnibus illis tegminibus, caetera abdominalia viſcera obtegentibus, prae iis aëris actioni eſt expoſitus, ac rheumaticâ affectione laborare debet. Ut vero motus muscularis omnium organorum rheumaticâ affectione laborantium difficilis eſt, ac non niſi inſigni cum dolore perficitur, ſic et uterus hoc morbo correptus, ſeſe rite contrahere nequit, ejus contractiones ſunt debiles, rarae, et non absque inſigni dolore perficiuntur, quare tam

(54) *L. C. pag.* 24.

tam foetus quam ſecundinarum expulſio inde tardior ac difficilis evadit; etiamſi uterus hac rheumaticâ affectione laborans, tandem ſeſe ſufficienter contrahat, ut foetus expellatur (quod absque inſigni dolore fieri nequit), tamen non ſemper ſe eo gradu contrahere ac ſuam capacitatem imminuere poteſt, quod ad ſecundinarum expulſionem requiratur.

Examinatis ſic cauſis uteri atoniam inducentibus operae pretium erit ſymptomata hoc malum indicantia enumerare.

Si uteri contractiones ſunt rarae, parvae, breves nec multum doloris inferunt, ſed quiete a parturientibus feruntur, ſi hae nec de calore nec ſiti quaeruntur, ſed potius de ſenſu frigoris ac laſſitudinis, pulſus parum a ſtatu normali aberrat, niſi quod paululum debilis ſit, ac tardior, raro celerior; ſi uteri contractiones non ſat ſunt continentes, nec ſatis durus globus uterinus, et dolore evanescente fere priſtinam figuram ac mollitiem aſſumat uterus, de praeſente uteri atoniâ conſtat. Hanc porro indicant haemorrhagiae, durante foetus expulſione perſiſtentes, quando aquae jam ſunt effuſae, ac caput oſtium uterinum occupat; ſi enim debitae energeiae ſint contractiones, haemorrhagiae uterinae eo momento ſiſtuntur, quia firmiter ſeſe uterus corpori foetus applicat, et ſic pars placentae ſoluta ad uterum apprimitur, lumina vaſorum aperta obturantur, vel quia per caput foetus oſtium uterinum occupans excretio ſanguinis impeditur, dum e contra ſi tantum debiles ſint contractiones, libere caput oſtio uterino incumbit. Atonia uteri praeterea cognoſcitur ex inſigni obliquitate hujus visceris quae a ſuis contractionibus non corrigitur; ex eo, quod ſegmentum ovi inferius non ſat tenſum a doloribus evadit, nec ad crepaturam apta veſica ſit, (non bene aquae formantur, uti obſtetricantes ajunt), aut quod caput foetus a dolore depreſſum illo praeterito, de novo adſcendit; quod praeſertim a reſiſtentiâ oſſium cranii ſeſe, comprimi non ſinentium, ac firmitate partium genitalium externarum, ſeſe dila-

tationi, ac expanſioni opponentium dependet (55). Dijudicatur denique hoc vitium ex oſtio uterino, vigente contractione non ſat tenſo, ex abſentiâ capitis ſuccedanei, ac capitis lentâ per pelvim deſcenſione.

Foetu in lucem edito atonia uteri cognoscitur ex eo, quod globus uterinus non appareat, ſed laxus uterus maneat, vel quod uterus jam contractus majus volumen rurſus aſſumat; quo in caſu de uteri haemorrhagiâ internâ concludere poſſumus.

De uteri atoniâ poſt foetus expulſionem conſtat ex abſentiâ contractionum ac ex haemorrhagiâ uterinâ ſine intermiſſionibus profluente, vel absque ut parturiens percipiat contractiones, quae haemorrhagia attrahendo funiculum augetur.

Si oſtium uterinum vel a ſolutâ placentâ, vel a ſanguine coagulato oppletum ſit, haemorrhagia uteri interna oriri poteſt, quae dijudicatur ex abdominis intumescentiâ et elasticitate, e globi uterini ac uteri contractionum abſentiâ, ex haemorrhagiâ uterinâ ſuppreſſâ absque uteri contractionibus aut ventris detumescentiâ, ex haemorrhagiâ per uteri compreſſionem, vel ablationem grumarum ſanguinis coagulati, ex oſtio uterino reſtitutâ; e praeſentiâ ſymptomatum majus ſanguinis profluvium comitantium.

Uteri Rheumatismus cognoscitur e contractionibus parvis ac vagis, absque cauſâ manifeſtâ, plures dies imo hebdomades ante partum invadentibus, uterum vel partes vicinas occupantibus, cum tenesmo ſaepe conjunctis; quae adeo ſaepe ſunt vehementes, ut gravidas jam ſaepius partum perpeſſas, et obſtetricantes fallant, partum adhuc longe remotum incipere ſibi perſuadentes; hi dolores tempore vespertino ac nocturno increscunt, mediâ nocte praeteritâ imminuuntur, et ſudore univerſali terminantur. Gravidae tempore ma-

(55) Plerumque capitis adscenſus a funiculo umbilicali nimis brevi vel circumvoluto dependere ſtatuitur; quae conditio raro tamen partui nocere potest, quum uteri fundus foetum descendentem inſequatur.

matutino ſtranguriâ corripiuntur, ac urina parcâ quantitate emiſſa, eſt craſſa, rubra, multum ſedimenti deponens; alvus plerumque eſt tarda, appetitus viget, ac ſaepe nullius alius organi morboſa obſervatur conditio. Durante partu dijudicatur e contractionibus parvis ac raris, multum doloris creantibus; parturientes anxiae, ac jactabundae de ardore et ſiti queruntur; pergente partu adeo ſenſilis fit uterus, ut parturientes adtactum non amplius ferant, quin imo oſtii uterini exploratio illis multum doloris inferat, ita ut ea uteri ſenſibilitas in ſigna pathognomica hujus adfectionis ſit referenda, ac dum in ſtatu normali contractiones pergente partu, quo ad intenſitatem increſcunt, nunc e contra ſenſim ſenſimque imminuuntur, ac denique penitus evanescunt, donec tandem ſudore profuſo univerſali erumpente, verae prodeant contractiones partum abſolventes. Explicitis cauſis uteri atoniam inducentibus, deſcriptisque ſymptomatibus hoc malum denotantibus, facile unicuique patet, quomodo inde retardetur ſecundinarum ſolutio, ac quam periculoſa inde excitentur ſymptomata; nam (ne nunc memorem peſſimas e morâ nimis diuturnâ ſecundinarum promanantes ſequelas) nominaſſe ſufficiet haemorrhagias a partiali ſolutione ſecundinarum productas, quae ob liquoris vitalis dispendium vigorem omnium partium, ac praeſertim uteri imminuunt, hoc organum continuo debilitant, ad contractiones ineptius reddunt, periculum de momento in momentum adaugent. Quid enim impediret affluxum ſanguinis ex orificiis vaſorum uterinorum patulis? Quid amplius a naturae viribus ſperandum, ſi pallida foemina ſit, pulſus vix obſervari poterit, imo et horripilatione, frigore, rigore, vertigine, oculorum caligine, aurium ſuſurru, ſurditate, animi deliquio, convulſionibus corripiatur miſera parturiens.

§. 12.

§. 12.

Explicitis cauſis ac ſymptomatibus ſolutionem ſecundinarum perturbantibus, huic capiti finem imponere posſem, niſi monendum ſuperesſet, haec vitia raro ita occurrere, ac ea nunc deſcripſimus, et raro ſolutiones vitiatas ſecundinarum ab unâ cauſâ dependere; plerumque vero plures cauſas concurrere ad hanc functionem depravandam. Quum vero obſtetricanti rationali non difficile ſit, e concurſu ſymptomatum variis cauſis non normalis ſolutionis ſecundinarum propriorum, dijudicare, quaenam complicatio praeſens ſit, neque (ſi hac de re certus ſit) de curâ adhibendâ dubius haerebit, quum pro diverſitate complicationis cura modificari, ac vario concurſui cauſarum adaptari debeat; non opus eſt, ut varias has complicationes explicemus; quum nimis haec materies nos detineret.

Noſtro vero ſcopo ſufficiet ſeriem addere, complicationum plerumque occurrentium, quam WIGANDIUS exhibuit (56).

I°. Atonia uteri cum loco adhaeſionis ſecundinarum non normali.

II°. Atonia uteri cum ſecundinarum non normali volumine et conſiſtentiâ.

III°. Atonia uteri cum iniquâ poſitione ſecundinarum in oſtium uterinum.

IV°. Contractiones uteri irregulares, cum ſecundinarum cohaeſione nimiâ, ac inſertione loco a fundo uterino alieno.

V°. Cohaeſio nimia ſecundinarum cum uteri atoniâ.

VI°. Poſitio iniqua ſecundinarum in oſtium uterinum cum illarum volumine aucto.

(56) Vid. *L. C. pag.* 164 §. 11.

CAPUT QUARTUM.

DE MODO MORBOSAE SOLUTIONI SECUNDINARUM MEDENDI.

§. 1.

Expoſitis iis, quae normalem ſolutionem ac expulſionem ſecundinarum ſpectant, atque explicitis iis, quae hanc functionem perturbare posſunt, nunc ad exponendum Medici-Obſtetricantis officium verſus parturientem nos accingimus. Exponere posſem Veterum de curâ ſecundinarum ſententias, et rationes, quare hanc vel illam ſententiam coluerint; ſed quum in hodierno Medicinae ſtatu, variis cauſis vitiatae ſolutionis ſecundinarum cognitis, omnes de inutilitate, nec non de noxiis praecepti nimis generaliter exhibiti, ſatis ſuperque ſint convicti, ac ſibi perſuaſum habeant, curam hujus mali cauſis hoc malum producentibus adaptandam eſſe; opus inutile ac nullius frugis foret. Quare hac de re propter ubertatem materiarum pertractandarum non dicemus, ſed ad exponendam curam unicuique abnormalis ſolutionis ſecundinarum cauſae adaequatam nos accingamus, ordinem a nobis capite praecedenti expoſitum ſecuturi.

§. 2.

§. 2.

Ut uteri obliquitas, quam primo loco inter cauſas morboſae ſecundinarum ſolutionis recenſuimus, curetur, indicatur ut uteri diameter longitudinalis reducatur ad axin aperturae ſuperioris pelvis minoris, ita ut plane cum illa cöincidat. Huic indicationi ſatisfacit, ſitus parturientis uteri inclinationi oppoſitus, ita ut ſi lateralis ſit uteri obliquitas, dextrorſum ſiniſtrorſumve lateri oppoſito incumbat parturiens, quando propriâ ſuâ gravitate ad axin uterus ducitur. Si antrorſum inclinet uterus, et ſupra oſſa pubis ſit inflexus, in dorſum parturiens decumbat; porro preſſio per manum abdomini impoſitam in globum uterinum verſus axin convenit in obliquitate uteri laterali; ac ſi antrorſum inclinaverit uterus, et ejus obliquitas ſit reſtituta manuum ope, vel gravitate ſuâ propriâ, requiritur, ut ſuâ in ſede apto linteamine abdomen cingente firmetur: quae auxilia hoc malum ſuperare valent.

§. 3.

Veſica urinaria a lotio retento turgens, capacitatem pelvis minoris occupans, viam placentae praecludens, alteram morboſae ſolutionis ſecundinarum cauſam conſtituit; de quâ conferri poteſt §. 5. Cap. III. Ut hoc obſtaculum tollatur, ac liber exitus ſecundinis praebeatur, veſica a contento lotio liberari debet, quod catheteris ope perficitur; exinde evacuatâ veſicâ, brevi ſecundinarum expulſio ſolet inſequi. Curam iſchuriae exhibere a noſtro propoſito eſt alienum, ſed hac de re varii ſcriptores practici conſuli poſſunt.

§. 4.

Medendi methodum hujus mali, quod dependet, a variis vitiis placentae fabricae §. 6. *Cap.* III. propoſitis, ſecundum ex-

exhibitum ordinem hic exponere debemus; haec autem uno titulo vix comprehendi poterit, melius vero variis ſectionibus deſcribitur.

Quamvis volumen nimis magnum placentae, ob numerum majorem punctorum cohaerentium ſolutionem ſecundinarum difficilioreu reddit-, omnibus uteri conditionibus rite ſeſe habentibus, facile tamen illa perficitur; expulſio vero ſecundinarum inde difficillima ſaepe evadit, ac artis auxilium non raro poſtulat; quum vero cura, tali in caſu adhibenda plane conveniat, cum illâ; quam in paragrapho ſequenti commendabimus ad iniquam placentae in oſtium uterinum poſitionem ſuperandam, ſufficiat ut B. L. ad illum locum referamus.

Propter non normalem placentae formam ſolutio ſecundinarum ſaepe retardatur, quia uteri contractiones non regulariter in ipſam placentam agunt, ac ſitus placentae, tali in caſu plerumque a fundo uterino eſt remotus; natura tamen, nullâ aliâ exiſtente cauſâ morboſae ſecundinarum ſolutionis, hoc malum ſuperat. Attendendum praeſertim ſi ellipticae figurae ſit, ne ſolito more funiculus umbilicalis attrahatur ad ſecundinas educendas; nam placentâ ad latus uteri adhaerente ac funiculo umbilicali ad ejus peripheriam prope oſtium uterinum inſerto; periculoſa inde orirentur ſymptomaıa, ac propoſitus ſcopus feriri non poſſet, uti egregie dixit LEVRETUS. „ *Lorsqu'on tire* „ *(en cette cas) le cordon a l'ordinaire, alors on ne tend* „ *plus a décoller aucun point de ſa circonference, que ſi on* „ *vouloit tirer a ſoi, en gliſſant, un papier façonné en ra-* „ *quette, mouillé et appliqué ſur un plan parallèle à ſes ſur-* „ *faces: car on aracheroit plutot l'appendice du papier, que de* „ *le décoller en entier; au lieu que, ſi on ſoulève l'appendice* „ *pour le detacher, ſur le champ toute la ſurface du papier* „ *quittera très aiſement le plan, ou il eſt attaché.*" (57): ex-

(57) Vid. LEVRET, *Suite des Obſervations &c., Art.* III. *pag.* 132.

exinde patet, quomodo tali in casu, si educenda foret placenta, operatio instituì deberet; funiculus enim umbilicalis, inter duos digitos unius manus positus, ope illorum versus fundum uteri ducitur, ac tunc cum alterâ manu attrahi solito more debet, quando haec operatio plerumque feliciter procedit (58).

Si ex allatis §. 6. *Cap.* III. symptomatibus de laxitate ac flacciditate placentae constiterit, difficiliori exinde secundinarum solutioni prospicere debemus, ac augendo uteri contractiones, illam promovere; cui scopo medicamenta excitantia inserviunt, nec non frictiones in globum uterinum institutae; quae auxilia plerumque sufficientem energeiam uteri contractionibus conciliant, ad talem laxam ac flaccidam placentam expellendam. Si vero symptomatibus non aequivocis pateret, nimis diuturnam secundinarum remoram in certum parturientis esse detrimentum, tunc caute, incassum praescriptis adminiculis propinatis, manus utero introducenda foret, ac prudenter deglubenda placenta, quod hoc in casu eo facilius fit, cum laxa ac flaccida placenta ope telae cellulosae tenuioris utero nectatur; quo modo si placenta educta sit, ad uteri et totius puerperae conditionem est attendum atque pro re natâ cura instituenda (59).

Exponenda tandem foret cura in morbosâ secundinarum solutione, a singulari vitio fabricae placentae dependente conveniens, de quâ GALLANDATIUS ac MULDERUS mentionem fecerunt. Melius tamen nobis videtur fore, ut exponamus, quomodo GALLANDATIUS, et MULDERUS feliciter talem casum ad finem perduxerint. Uterque ob ingentes cruciatus ab uteri contractionibus provocatos, nec non ob haemorrhagiam praesentem, artificialem solutionem instituit ac eduxit secundinas (60). Eodem in casu, iisdem praesen-

(58) Vid. LEVRET *L. L.*

(59) Vid. WIGAND *L L. pag.* 158 *seqq.*

(60) Vid. *Verhand. van het Zeeuwsch Genootschap &c., Tom.* V. *pag.* 452 *seqq.* *et* MULDERUS *L. C. pag.* 230.

ſentibus ſymptomatibus, procul dubio indicatur ſolutio artificialis propter ingentem dolorem, quem repetendum duco a lapillulis placentae inhaerentibus, atque uterum durante contractione vulnerantibus.

§. 5.

Quamvis repetitis uteri contractionibus placenta incongruo modo in oſtium uterinum poſita, ſaepe adeo comprimeretur ac contorqueretur, ut tandem oſtio uterino ac vaginâ ſuperatis, ſponte prodiret, tamen ut foeminae parcamus, ac illam a molestis uteri contractionibus liberemus, ut haemorrhagiam uteri internam, vel alia mala e nimis diuturna morâ ſecundinarum in utero oborienda praecaveamus, manum operi admovere, atque naturae ſuccurrere convenit. Quare manus, ſolito more, in vaginam duci debet, ac cum illâ arrepta placenta ad ejus peripheriam involvatur ac contorquatur in cylindrum, cum arreptâ extremitate ad oſtium uterinum ducatur, et naturae viribus rurſus committatur negotium; quando ſpes eſt ut obſtaculo expulſionem ſecundinarum ſolutarum oſtio uterino incumbentium impediente remoto, brevi excutiantur ſecundinae; quod ſi non acciderit aliam adhuc cauſam retardatae expulſionis ſecundinarum exiſtere patet, pro cujus naturâ cura inſtituenda foret.

Si ſanguis intra membranas ſecundinarum replicatas collectus illarum expulſionem ſuo volumine impediret; hoc obſtaculum e medio eſt tollendum, liberum ſanguini praebendo exitum, aperiendo membranas digitorum vel forficis ope: quae operatio tamen non debet inſtitui, priusquam uteri obſervantur contractiones ac membranae aliquantum per oſtium uterinum in vaginâ ſint protruſae, ne uterus, dum ab omni contento liberetur, atonicus fiat et alia periculoſa oriantur ſymptomata (61).

§. 6.

(61) Conf. WIGAND *L. C.* §. 10 *pag.* 162. *ſeqq. et* §. 7 *Cap.* III. noſtrae Diſſertationis.

§. 6.

Quamvis placenta loco incongruo uteri adfixa difficilis ſolutu ſit, uti §. 8. *Cap.* III. expoſuimus; tamen natura, nullâ aliâ morboſae ſolutionis ſecundinarum exiſtente cauſâ, hoc obſtaculum facile ſuperat, hanc functionem feliciter abſolvit; ſtricte ergo artis auxilium hoc vitium non poſtulat, quamvis in hoc caſu tuto et cum emolumento naturae ſuccurrere, ac hanc functionem foeminae faciliorem reddere posſumus. Hoc fit praebendo parturienti ſitum, ſitui placentae oppoſitum; ut ſic pondere ipſius placentae ſolutio ſecundinarum aliquantum promoveatur, ac uterus magis ad pelvis axin reducatur, (nam non raro uteri obliquitas cum laterali placentae inſertione concurrit, quamvis illud vitium ab hoc malo non dependet ut §. 4. *Cap.* III. demonſtravimus) contractionibus uteri major vigor praeberi poteſt, frictionibus in globum uterinum loco adhaeſionis ſecundinarum inſtitutis.

Si vero oſtio uterino placenta adhaereat, gravius eſt malum, quod omnem obſtetricatoris attentionem requirit; ac dum durante graviditate illud malum tollere nequeamus, palliativam, ſymptomaticam curam inſtituere convenit. Haemorrhagiam uterinam in hoc caſu ſemper imminentem praecavere debemus, cui ſcopo inſervit, ut foemina decubitum ac quietem, quantum fieri posſit, ſervet, ut potulenta in genere ſint temperantia ac inſpisſantia; ut V. S. ſi plethorica foemina ſit, inſtituatur (haemorrhagiae autem uterinae plerumque hujus auxilii applicationem impediunt). Exploratio vero obſtetricia, non niſi urgente neceſsitate, ac ſummâ cum prudentiâ peragenda, ne auferatur grumus ſanguinis, ad praecavendam haemorrhagiam ſaepe valde neceſsarius. Si tamen hisce non obſtantibus ſanguinis profluvium gravidam invadet, (quod ad finem vergente graviditate, oſtio uterino ſeſe dilatante certo certius accidet) illud omni ſtudio compeſcere debemus, cui ſcopo fomentationes ex aceto et aquâ frigidâ abdomini impoſitae nec diu relictae,

aut ſaepius repetitae inſerviunt; nec minus proſunt ſpongia eodem liquore madida, vaginae introducta ac oſtio uterino applicata: medicamenta adſtringentia ſtiptica intus propinata, quibus tonica, cardiaca, medicamenta, ut viribus vitalibus prospiciamus, jungere ſaepe convenit, eâque curâ praeſcriptâ adhibitâ graviditatem, ſaltem in plurimis caſibus, feliciter ad finem perduci poſſe credimus. Si vero adeo vehemens ſit haemorrhagia, ut praeſcriptis remediis ſiſti nequeat, ac metus ſit, ne foemina ſuccumbat; BAUDELOCQUIUS praecipit, ne matris cum foetus vitâ ſimul perdatur: ut dolores excitentur, ac promoveatur partus, quovis etiam graviditatis tempore (62). Illud vero auxilium in matris conſervationem propoſitum (nam quo minus graviditas ſit provecta, eó magis foetus vita periclitatur) plurimis difficultatibus laborat, ut et ipſe auctor agnovit: dolores enim ſive uteri contractiones excitantur iis omnibus, quae uterum ſtimulant, ſanguinem majori vi, majori copiâ ad illum determinant; ſive id ſint frictiones abdomini applicatae, aut ſtimulantia medicamina per os adſumpta. Haec auxilia ergo haemorrhagiam pro tempore adaugent cui ſuſtentandae, an vires gravidae ſuperſtites tali in caſu ſufficiant, dubium videtur; ancipitis praeſagii ideo etiam videtur auxilium, quia ſcopum non ſemper ferit, quia uteri contractiones ſaepe non prodeunt, licet etiam fortiora ſtimulantia ſunt propinata: ac dum non juvat certo certius nocet, augendo ſanguinis orgasmo. Forſan artificiali dilatione oſtii uterini partum promovendum eſſe, nonnulli volunt; quamvis vero in hoc caſu ea dilatatio facilius quam quidem in aliis perficiatur, tamen ſi non rite ad dilatationem oſtium uterinum ſit aptum aut praedispoſitum, nec leviori conamini cedat, fruſtra major adhiberetur vis, quum tunc potius dilaceraretur, quam dilataretur oſtium uterinum, dum pro ſtimuli applicati intenſitate, ſemper pro-

por-

(62) Vid. BAUDELOCQUE *L. C. §. 980 et ſeqq.*

portionata fibrarum ſequitur reactio aut contractio, ita ut de hujus auxilii ſucceſſu dubitare liceat (63).

Ne tamen quis putet, me CELSI effati penitus eſſe immemorem, ſcilicet *anceps remedium nulli praeferendum eſſe*, neque quis cenſeat me penitus velle proſcribere, BAUDELOCQUII, ſummi in arte obſtetriciâ magistri praeceptum; e contra puto applicationem hujus auxilii, dubii licet praeſagii, a mali gravitate indicari, dum melius quid adhuc nos lateat; nam duro nodo durus cuneus convenit: igitur in caſu fere conclamato, quando de vitâ matris et foetus foret actum, huic praecepto eſſe obtemperandum cenſemus. Pro hujus applicatione inſuper militat quod oſtium uterinum magis ſit emollitum ac relaxatum, quam ceterum eſſe ſoleat, ac tantâ haemorrhagiâ invadente jam paululum ſit dilatatum ac apertum, quare levioribus conaminibus ſaepe ita dilatari poteſt ut partum abſolvi queat. Oſtio uterino ſufficienter dilatato (ſive arte, ſive uteri contractionibus) ut capiti foetus vel manui obſtetricatoris tranſitum concedat, indicatur, ſi completa ſit placentae in oſtium uterinum inſertio, ut partus artificialiter quam citisſime abſolvatur, ob vehementem haemorrhagiam continuo pro ratâ dilatatione oſtii uterini increscentem, ac inefficaciam naturae humanae ad talem partum abſolvendam.

Duplici modo hoc fieri ſolet, vel placenta deglubitur in illo latere, quo foetus pedes poſitos eſſe conjiciunt, vel ſi de ſitu pedum probabilis conjectura fieri nequit, in illo latere, quo ejus peripheria proxime oſtio uterino adſtat: ac ſi manus, deglupta placentâ, ad membranas pervenerit, hae rumpuntur, ac per pedes

in

(63) Lubenter fateor, me non intelligere Praeclarorum ceterum in arte obſtetriciâ virorum, qui dilatatoriis vel cujusnam etiam denominationis inſtrumentis, oſtium uterinum aperire, dilatare praeſcribunt, quaſi de corio vel de gummi reſinâ elaſticâ (caoutchouk) ſermo foret: nec de reactione partium vivarum in ſtimulos applicatos quid monent.

(plerumque ergo per verſionem) educitur infans. Forcipem enim in hoc caſu, quamvis caput bene quo ad pelvim foemininam ſit ſitum, nullius eſſe utilitatis, ex eo patet, quod caput foetus adhuc in ſuperiore pelvis capacitate verſetur, ac operationis ſucceſſus praeſertim a velocitate, quâ abſolvitur dependeat; ne nunc alias memorem difficultates uſum forcipis contraindicantes. Foetu educto, vacuefactus uterus ſeſe contrahit, ac ſanguinis profluvium fere conquiescit, nec ſingularem curam ſecundinae poſtulant; niſi quod in illarum eductione multum curae adhibendum ſit, ne membranae disrumpantur ac remaneant, quod facile in hoc caſu accidere poteſt.

Altera methodus hunc partum artificialiter abſolvendi, in eo conſiſtit, ut ipſa placenta perforetur, ac per factam fiſſuram educatur foetus. Huic vero operandi methodo obſtat, quod ſaepe vaſa majora placentam perreptantia laeduntur, ac ominoſa oriatur haemorrhagia: et quod foetus, dum extrahatur ſecum rapit cum ſuis humeris totam placentam ac membranas, quod non ſolum operationem difficiliorem reddit, quia ſcapularum volumen cum illo placentae augetur, ſed tam pro matre, quam pro foetu majori periculo ſtipatur, quare merito hicce operandi modus priori poſt ponitur, ac a nemine hodiernorum amplius in uſum vocatur.

Si vero incompleta ſit placentae inſertio in oſtium uterinum tunc non indiscriminatim conducit, ut arte partus abſolvatur; non raro enim feliciter tales caſus naturae viribus terminantur; ſaepius oſtio uterino ſeſe dilatante ac aperiente, ad unum alterumve latus membranae nudae apparent, quae dein ab increscente liquore amnio propulſae, expanſae, ſi vires ſufficiant, dolores urgeant, rumpuntur ac contenta transmittunt. Ac ſaepe tali in caſu ab ipſo foetu pars placentae per oſtium uterinum prominens, ſic durante partu comprimitur, ut ne gutta quidem ſanguinis emittat, quod ſub auſpiciis Doctiſſimi viri, praeceptoris aeſtumatiſſimi G. SALOMON, ante triennium obſervare mihi licuit. E virium ſuperſtitum valore,

e vehementiâ haemorrhagiae, e partus decurſu, in hoc caſu indicatio debet formari et exinde concludi an arte partus ſit abſolvendus, vel adſtringentibus, incitantibus, cardiacis exhibitis, naturae opus committi queat (64).

§. 7.

Expoſitâ curâ conditionum, ſolutionem ſecundinarum quidem difficiliorem tardioremve reddentium, ſed tamen non impedientium ut haec functio naturae viribus abſolvi queat, niſi aliae cum illis coexiſtant morboſae conditiones; ſupereſt ut medendi methodum exhibeamus, illis vitiis adaptatam, quae vel impediunt ſecundinarum ſolutionem, aut tam periculoſa ſymptomata huic functioni copulant, ut niſi valide naturae ſuccurratur, de parturientium vitâ actum ſit. Ac quidem ſecundum propoſitum ordinem de curâ placentae nimis firmitur utero cohaerentis primo loco agendum: de quo vitio conferatur §. 9. *Cap.* III.

Saepe ſi uteri contractiones ſat ſint validae, parturientis viribus, levioribus artis accedentibus adminiculis, nexus ſecundinarum etiamſi nimius ſit, ſolvitur, plerumque uteri contractiones non deſiſtunt, priusquam placenta ſoluta, ac excuſa ſit, quare eo fauſtiorem prognoſin declarare poſſumus, quo vehementiores ſint contractiones, quo durior ac magis anguloſus globus uterinus ſit, quo plus ſanguinis quâvis uteri contractione excernatur; nec minus fauſtam prognoſin formare poſſimus, ſi uteri volumen vigentibus contractionibus imminuatur, ejus anguli ac inaequalitates diſpareant, et minus durus evadat uterus; quum inde conſtet cohaeſionis puncta disjungi, diſſolvi, ad expulſionem ſecundinas adaptari. Non ſemper tamen natura tam ſtrenue hanc functionem peragit plerumque artis auxilium poſtulat, ad uteri contrac-

tio-

(64) Conf. §. 8 *Cap.* III. ibique citatos auctores.

tiones excitandas: ſic ſaepius infanti ubera ſunt praebenda, ac frictiones in globum uterinum inſtituendae, ſed et nonnumquam firmiter manus conglobata, vigente contractione, globo uterino ac praeprimis ejus partibus maxime prominentibus eſt applicenda; quae ultima encheireſis non nimis debet repeti, quum uterus, qui jam inſolite adficiatur ac ſtimulatur a vehementioribus ejus contractionibus hoc aegre ferret: ſimul autem conducunt pro uſu interno medicamenta cardiaca ſtimulantia, uti vinum, Aether ſulphuricus Tinct: Cinnamomi, diaeta nutriens; nec minus proſunt injectiones tepidae, cum infuſo florum Chamomillae, herbae ſalviae, aliorumque, quae non ſolum uterum ad contractiones excitant, ſed et fluida contenta in corruptionem prona eliminant; abdomini cataplasmata calida e chamomillâ, malvâ aliisque imponantur: ſitus parturientis non ſemper ſit idem. Ejus mens ſaepe e praejudicatâ opinione ob moram protractam ſecundinarum anxia, pacari debet, propter animi pathemata deprimentia, quae uteri actionem impediant, et vires medicamentorum infringant. Haec praeſcripta cura ad hoc vitium ſuperandum nobis videtur ſufficere, ac tam diu protrahi debere, quamdiu bene valeat parturiens, et cum aliquâ probabilitate ab illis ſecundinarum ſolutionem exſpectare poſſimus, et res potius in meliora quam in pejora vergant, nec de majoris momenti doloribus anxietate aut debilitate quereretur: quando ſcilicet uteri contractiones quamvis dolorificas ſuſtinere queat, appetitus vigeat, ſomno nonnumquam fruatur, majoris momenti haemorrhagia abſit, volumen ac durities uteri decreſcant nec ex utero emanantes humores foetidum ſpargant odorem. Cum igitur ex omnibus ſymptomatibus ſecum invicem collatis patet, totum parturientis organismum a topicâ uteri labe vix adfici, ab obſtetricante aliud quod ſuscipi nec poteſt nec debet, cum ſpes ſit fore ut tandem natura ſecundinas expellat. Si vero alia foret parturientis conditio, ſi de die in diem vel de horâ in horam in pejora rueret, uteri contrac-

tractiones esſent frequentes, absque ut ejus volumen aut durities imminueretur, vel placenta in vaginam deſcenderet, et ſic de naturae inefficaciâ ad nexum nimis firmum ſolvendum conſtaret; vel ſi contractionibus uterinis quoad vigorem decreſcentibus, uterus majus volumen cum minori duritie asſumeret, ſicque pateret naturae vires jam langueſcere ac mali gravitati ſuccumbere. Si ex abdominis inſigni ſenſilitate adtactum impatientis, e ſomni ac appetitus abſentiâ, e mentis auxietate ac inquietudine, ex alvi ac urinae ſuppreſſione, e febris, ſitis ac cephalalgiae praeſentiâ, conſtaret totum organismum a topico uteri malo adfici ac pati. Si uteri haemorrhagiae quantitate debilitantes, leipothymiae numero increſcant, tunc nobis videtur indicari ut magis efficacia auxilia adhibeamus et artificialiter a placentâ uterum liberemus, praeſertim ob ſequentes rationes, 1°. quia uterus diutius a nimis firmiter cohaerente placenta diſtractus, facile inflammatione corriperetur, vel anxietas ac timor non facile debellanda, cum ingentibus doloribus ac haemorrhagiâ conjuncta parturientem nimis debilem reddant, ac facile uteri atoniam provocent: 2°. quod ſanguinis profluvium a placentâ ſuo volumine uteri contractionem impediente, ſuſtentatur, nec ſolutionem artificialem in hoc caſu majoris haemorrhagia inſecutura ſit propter uteri valentem contractionem, expulſis ſecundinis; 3°. quum placenta pro majori parte ſolutâ, ac continuatis uteri contractionibus depreſſâ, uteri inverſio oriri poſſet; 4°. quoniam quo magis pars quaedam uteri a placentâ dilaceratur, diſtrahiturque, eo magis etiam hujus partis ſtructura mutatur, ac aliis uteri vitiis occaſio datur, 5°. quod ſi pars uteri determinata ſuperficiëi cohaerentis placentae reſpondens diutius contrahatur, tandem ejus contractiones debiliores evadant, atonica fiat; ac dum ſic ceterarum partium uteri contractiones indirecte fiant majores, ſuperpondium prae illis accipiant, ſtricturis anſa praebeatur, ac placenta incarcerari poſſit, 6°. denique

quia e nimis diuturnâ lochiorum retentione, plethora uteri topica aliaque nascuntur incommoda.

Dubitant forsan nonnulli an quidem arte ab utero separari queat placenta, quam hujus organi contractiones vehementiores per plures horas vel dies protractae solvere non potuerunt, an artificialis solutio absque violentiâ perfici possit, ac, an non ex ipsa operatione majora mala profluant, quam e remorâ protractiore secundinarum in utero? Quamvis a variis scriptoribus observationes adferuntur, ex quibus in tali casu feliciter solutas fuisse secundinas patet (65), tamen persuadere mihi non possum, ut tali in casu unquam eductae secundinae sint *integrae*, atque hoc absque ut uterus laedatur, perfici posse non credo; sed in his casibus separatam fuisse, ac in similibus casibus separandam esse, paginam extimam placentae, uteri superficiëi respondentem a reliquâ massâ opinor; et igitur ipsum parenchuma placentam constituens, (salvâ manente tela cellulosa proprie illud viscus utero nectente) dilaceratum fuisse, vel dilacerandum esse; dum sic major placentae pars auferatur, lamina illa tenuis extima, in utero remaneat. In iis câsibus ubi placentam ob nexum nimis firmum degluptam ac eductam observare potui, pagina deficiebat extima; nam iis in locis ubi arte soluta erat placenta, desiderabatur membrana illa tenuissima ac politissima, superficiem uteri obversam ceterum obtegens. Variis titulis sese haec operandi methodus commendat, quâ uterus laedi nequit, cum nullibi manus in uterum agat, sed solum in placentam, ita ut parturiens ab hac operatione parum doloris percipiat, orificia vasorum maneant obtecta parum sangui-

(65) Vid. LA MOTTE, *Traité des accouchemens &c. pag.* 598—601, *Observ.* 389, 390, 393, 394 *ed. Haganae Ao.* 1726. DENYS, *over het ampt der Vroedmeesters en Vroedvrouwen, Leiden Ao.* 1733 *pag* 267. MULDER *L. L. pag* 216. SIGEMUNDIN, *die Chur. Brandenburgische Hoff Wehe-Muttur, Cölnn. an der Spree, Ao.* 1690 *pag.* 119. CAMPERI *Introd. ante* REUSII *Tract. Naauwkeurig Onderwijs in de Verloskunde.*

guinis fundant, laminâ placentae relictâ, uteri contractionem impedire nequeat. Neque nocivas producit ſequelas illa methodus, ſi deinde apta adhibeatur cura, lochiorum fluxus paululum tantum inde evadit uberior; ac non niſi rariſſime, et quidem ſi tota fabrica placentae degenerata ac indurata ſit, opus erit, (ſi hac methodo utamur) ut ſecundum praeceptum LE ROUXII ac WIGANDII ſolutam partem auferamus, relicta parte cohaerente (66), quod factu difficile eſt, ac dubii praeſagii ob ſequelas non raro inde promantes nocivas. Quod ad modum operationem inſtituendi attinet, ſufficiet monuiſſe, globum uterinum a manu ab exteriore comprimente debere firmari, apices digitorum ac volam manus placentae ſuperficiem ſpectare debere, et cavendum eſſe ut ungues praeciſi ſint, uti monuit OVIDIUS (67). „ *Et nihil emineant, et ſint ſine ſordibus ungues*, ac totam operationem indigere variis cautelis, quare recte monuit, PEU: *dexteritate ad ſeparandum, ſi ſecundina adhaeſerit, patientiâ ad placide agendum, ſi nimium adhaeſerit, ingenio ad dignoſcendos placentae ſtatus, promptitudine ad tempus lucrandum, experientiâ ad definiendos, qui regulis carent caſus, opus eſt* (68). Si eo modo arte deglupta ac excuſſa placenta ſit, uterus injectionibus tepidis e chamomillâ aliisque ab impuritatibus liberari debet, ejus phlogoſis eſt minuenda ac partium adhaerentium ſolutio eſt promovenda, quare ſimul cataplasma emolliens abdomini eſt imponendum, ac medicamentum antiphlogiſticum emolliens exhibendum.

Mirantur forſân nonnulli me tamdiu artificialem placentae ſolutionem differre, ac non ſtatim quum de mali praeſentiâ, conſtiterit deglubere ac educere placentam, uti praecepit HARTTRAMFFT, qui, „ *morae* (hoc in caſu) *non eſſe indulgendum, niſi unico* „ *in*

(66) LE ROUX, *Obſervations &c., Partic.* II. *Art.* II. §. 200—202 *pag.* 130 *et* 135. WIGAND *L. C. pag.* 133.

(67) *Artis Amator. Lib.* I. *vſ.* 719.

(68) PEU *la Practique des accouchemens, Liv.* II. *Chap.* 15. *pag.* 494.

„ *in caſu, ubi convulſivi motus uterum et totum corpus inva-*
„ *dunt*" (69) monet, ut ſic parturientem ab omnibus malis ſta-
tim liberemus. Sequentes vero rationes me coëgerunt ut hunc agendi modum amplecterer, 1°. quia natura ſaepe placentam, quamvis nexus peccat, ſolvit ac expellit, et tunc quidem integram; quare hunc felicem exitum exſpectare mihi melius esſe videtur, ita ut, ſi fieri queat, operationem gravem ſemper parturienti dolorem inferentem, omittamus; 2°. quo diutius placenta in loco calido ac humido actioni aëris ſit expoſita, eo infirmior nexus evadit; 3°. quia ſanguine ſic magis aequaliter per totum corpus diſperſo, majori orgasmo ad mammas quam ad uterum tendente, majoris momenti hujus fluidi vitalis profluvium durante operatione non ſit oboriturum; 4°. quia uterus eo tempore jam magis ſit contractus ac firmior; quare operatio facilius inſtitui potest; 5°. quia ſpasmi uteri ſaepe, dum nimis firmiter cohaereat placenta, praeſentes aptis medicaminibus posſunt fugari, igitur neque amplius operationem impediunt; 6°. denique quia uteri debilitas ſpuria, e partu nimis praecoci non raro poſt foetus expulſionem praeſens, eo tempore jam ſit fugata, nec igitur ex hac fonte uteri haemorrhagia profluere posſit (70).

§. 8.

Incarceratio ſecundinarum, a contractione partiali ſpasmodica uteri producta, impedita ſolutionis ſecundinarum cauſam conſtituit, hanc functionem periculoſam reddit, et omnino, ut obſtetricator ad illam attendat, atque ejus curam agat, po-

(69) Vid. J. VAN HARTTRAMFFT, *Diſſ. de non differendâ ſecundinarum adhaerentium extractione*, *pag.* 20, quae invenitur recuſata in HALLERI, *Diſput. Chirur. Sel.*, *Tom.* III. *pag.* 421.

(70) Conf. WIGANDI, *Tract. Laud.* §. 7.

poſtulat. Hoc vitium, de quo §. 10. *Cap.* III. egimus, quamvis Antiquioribus jamjam obſervatum fuerat, recentiori aevo tamen primum rite deſcriptum fuit; ac duplex methodus illi occurrendo propoſita eſt; a LEVRETO enim, SMELLIO, STARKIO, DE REUSIO, DOEVERENO, ac DENYSIO commendatur, ut locus coarctatus manus vel inſtumentorum ope dilatetur, dein ſolvatur ac educatur placenta (71); WIGANDIUS vero, VAN DER HAAR, AEPLI, VAN WY, LE ROUX, BAUDELOCQUE, praecipiunt, ut antispasmodicis medicaminibus ſolvatur ſpasmus, ac placentae expulſio, niſi urgentia adſint ſymptomata, naturae viribus committatur (72). Ac poſterior medendi methodus a mali naturâ indicata nobis videtur, ſi non adſit vehemens haemorrhagia, vel alia mala ſeſe huic vitio jungant, quod nimis ſaepe obſervatur; nam ſi nullum aliud exſtat impedimentum, quam ſpastica uteri contractio, expulſionem ſecundinarum impediens, ac paralyſis, ut ita dicam, magis minusve perfecta partis uteri cui placenta adhaeret; ſpes eſt ut aptis antiſpasmodicis propinatis medicamentis locus ille ſpasmodice contractus relaxetur, ut cyſta, in quâ continetur placenta, fugatâ ſyncope, contrahatur, ac illam ſolvat. Haec methodus praeprimis nobis placet cum 1°. nullum periculum in morâ ſit, aliis conditionibus morboſis abſentibus; quia 2°. admodum difficile dilatetur locus ſpasmodice conſtrictus, ope manuum ſive inſtrumentorum

(71) Vid. LEVRET, *L'art des accouchemens, cet. Paris Ao.* 1761 8°. *pag.* 143 §. 801. SMELLIE *L. C. vol.* II. *pag.* 395 *Caſe* VI. STARK, *Neues Archiv. u. ſ. w.* 3 *B.* 1 *ſt. pag.* 125 *ac* 126. DE REUS *L. C. pag.* 54 *ac* 55. VAN DOEVEREN *L. C. pag.* 163 *ſeqq. et pag.* 175. DENYS *L. C. pag.* 31—33.

(72) Vid. WIGAND *L. C pag.* 91 §. 5. VAN DER HAAR, *Aanmerkingen over het afhalen der Nageboorte, pag.* 25 *ſeqq.* J. M. AEPLI, *die ſichere Zuruklasſung der Nachgeburt in beſtimmten Fällen, pag.* 59—64. VAN WY, *Prijsverhandelingen van het Amſterdamsch Genootſchap der Heelkunde*, VI. *Dl.* 1 *ſt. pag.* 23. LE ROUX, *Obſervations ſur les pertes de ſang des femmes en couches, Part.* II. *Art.* 2 *Obſervat.* 54 *pag.* 138. BAUDELOCQUE *L. C.* §. 973.

rum ope, quum illo ſtimulo admoto firmius etiam contrahetur, et 3°. non magis a praecedenti ratione, quam ab inſigni dolore, quem haec operatio parturienti infert, contra indicatur, ut locus conſtrictus dilatetur ac educatur placenta.

Indicatur ergo, ut uteri univerſales excitentur contractiones; quare convenit ut parturiens calidum regimen ſervet, ut pedes praeſertim lagenis aquâ calidâ repletis, et mammae ac abdomen impoſitis linteis calefactis, vel cataplasmatibus calidis e Fl. Chamomillae, Hb. Rorismarini, ſimilibusque herbis cum vino irroratis foveantur; huic ung. opiatum quodcumque infricetur; injectiones calidae cum inf. Chamomillae ac opio in uterum fiant; balnea vel ſemicupia tepida adminiſtrentur; oſtio uterino infricetur ung. opiatum (ſi illud ſpasmus occupat); ac pro uſu interno praeprimis conducunt opium largâ doſi proprinatum, caſtoreum, moſchus, ipecacuanha per epicraſin, pulvis DOVERI ſimiliaque. Haec remedia malum generatim ſuperare valent, ac poſt illorum adminiſtrationem, facies rerum plerumque tota quanta mutatur; nam cum gratâ ſenſatione debiti caloris per totum corpus ſparſi, univerſales uteri prodeunt contractiones: alvum deponendi, urinam emittendi oritur cupiditas, mollius ac magis dilatatum fit oſtium uterinum, descendit ac per illud placenta magis in pelvim propellitur. Si vero nec tunc expellatur placenta, tunc aliae retardationis cauſae cum vitio memorato coexiſtunt; pro quarum diverſitate ac vario concurſu cura modificanda ac varianda eſt; ſic ſaepe cum ſpasmodicâ conſtrictione obſervatur uteri obliquitas ac cohaeſio placentae loco a fundo uterino remoto; nec rara eſt ejus cum nexu nimio complicatio, quae certe eſt periculoſisſima quum uteri conſtrictio a continuâ diſtractione ac irritatione partis uteri nimis firmiter cum placentâ cohaerentis ſuſtentatur, ac illi ſaepe jungatur haemorrhagia (73).

Si

(73) Vid. WIGANDIUS in LODERS, *Journal fur die Chirurgie, Geburtshulfe, und Gerichtliche Arzneykunde*, I. B. 2 *ſt. Seite* 290 *ſeqq.*

Si vero vel ob timorem vel anxietatem parturientis, vel ob haemorrhagiae vehementiam, vel quamcunque aliam cauſam opus foret, ut placenta ſolveretur ac educeretur, tunc praeter regulas in omni artificiali ſecundinarum ſolutione obſervandas, ſequentes in hoc caſu conducunt, ut 1°. priusquam manus in uterum ducatur, injectiones cum emollientibus ac antispasmodicis fiant, e. g. cum Dec. Avenae cum opio vel extracto aut oleo Hyoſcyami; 2° ut manus in operatione adhibenda bene caleat, ac oleo vel ung. opiato rite ſit illinata; 3° ut in antecesſum propinantur, tam extus, quam intus optima antispasmodica, quum, hac cautelâ omisſâ, non niſi difficillime per locum conſtrictum duceretur manus; 4° ut ad manum introducendam aptum eligetur momentum, ſpasmo paululum remittente; quod e loci conſtricti mollitie aliisque ſymptomatibus dijudicari poteſt; 5° ut lento ac caute per locum conſtrictum ducatur manus methodo WIGANDIANA (74); 6° ut primum imminuta ſit magna partis conſtrictae contractio, quae, dum manu tangatur locus conſtrictus, ſemper oritur; priusquam nova conamina inſtituantur; 7° ut globus uterinus, a manu abdomini impoſitâ, durante tota operatione fulcietur; 8° ut uteri diameter longitudinalis, ſi ab axi aperturae ſuperioris pelvis minoris receſerit, ad illam ducatur; 9° denique, ut non prius educatur placenta, priusquam, uterus ſeſe circa manum contrahat, ac illam expellere conetur, ac tunc lente admodum debet educi, ut uteri fundus manum inſequatur, illam fere expellat; ſic enim debilitantes haemorrhagiae praecaventur, et uteri inverſiones, nec non novae ſtricturae quae dolores poſt partum ſemper reddunt frequentiores, ſanguinem diu retinent, lochiorum effluxum vario modo turbant: ac his omnibus peractis, tandem injectiones cum Inf. Chamomillae, cum opio, vel ol. Hyoſcyami in uterum fiant.

Pri-

(74) Vid. WIGAND *L. C. pag. 97 ſeqq.*

Priusquam hanc materiem linquamus, non inutile fore duximus, ut pauca adhuc de uſu injectionum ac balneorum calidorum moneamus: quum nonnulli ab illorum applicatione, ob haemorrhagiae praeſentiam, valde abhorreant, ſi vero verum ſit, remedia morbi naturae ac cauſis debere adaptari, ac minime ſymptomatibus a morbo productis ut perfecte curetur, quum cauſa morbi proxima ſublata et ipſe tolletur morbus (75), ac ſi ſpasmus in hoc caſu tolletur, cum eâ haemorrhagia ſuperata erit; ſequitur ut ab ipſius morbi naturâ, ut in reliquis ſpasmodicis morbis, antiſpasmodica medicamina indicentur, inter quae calida medicamenta formâ frictionum, cataplasmatum, fumigationum, balneorum cet. applicita jure laudantur. Nonne e. g. in trismo ac tetano hodie prae frigidis cataplasmatibus ac balneis, olim admodum laudatis, ſcopum raro ferientibus, jure calida anteponuntur? Nonne a Cl. RICHTERO in herniis incarceratis, ſi conſtrictio a ſpasmo dependeat, cataplasmata calida, frigidorum loco praeſcribuntur? Quare ergo uteri ſpasmus exceptionem ab univerſali regulâ faceret? An morbi naturâ eâdem manente ſedes ejus diverſa, diverſam ſive oppoſitam agendi methodum praeſcriberet? minime ut mihi videtur, nec dubitamus quin ſoluto ſpasmo et ipſa haemorrhagia ſuperata erit, quare non dubitamus in hoc caſu balnea ac injectiones calidae praeſcribere, quum inter optima antiſpasmodica pertineant ac hoc titulo frigidis balneis ac injectionibus jure anteponuntur (76).

§. 9.

Dum nos accingimus ad exponendam curam, in morboſâ ſolutione ſecundinarum convenientem, ab uteri atoniâ dependente, cujus vitii *αἰτιολογίαμ*, ac *συμπτωματολογίαμ* §. 11. Cap. III. expoſui-

(75) Vid. GAUBII, *Inſtit. Pathol. S.* 60.
(76) Vid. SIEBOLDII, *Lucina*, I. *B.* 2 *fl. a pag.* 126—205.

ſumus, non inutile aut plane incongruum erit, ut in antecesſum hujus mali prophylacticam curam exhibeamus; noſtro vero ſcopo ſufficiet, ea tantum notasſe auxilia, quibus durante foetus expulſione minitantem uteri atoniam ac ſolutionem ſecundinarum, propterea periculoſam, praecavere posſumus.

Si e ſymptomatibus, citato §. adductis, durante foetus expulſione conſtiterit, de univerſali debilitate parturientis, ſive topicâ uteri, ea conducunt medicamina, quae illam tollere, imminuere, ac mala ceterum inde obortura praecavere valent; conducunt ergo vel tonica ſtimulantia, tam intus, quam extus propinata, uti Tinct. Cinnamomi, Vinum qualecunque meracum, Balſamum Peruvianum Frictiones, ſtimulantia medicamenta aliaque, quando cum torpore univerſali conjuncta eſt haec debilitas. Si vero cum nimiâ irritabilitate conjungeretur debilitas, tunc haec medicamina nimis augendo ſanguinis orgasmum nocerent, ac foetu expulſo periculoſisſimas haemorrhagias provocarent; quare potius conducunt, tonica adſtringentia quibus ſedantia jungere ſaepe convenit, uti diaeta nutriens, jura carnium, Dec. cort. peruv. cum Aethere ſulphur. alcoh., Laud. liq. Syd. aliisque, nec non frictiones cum calefactis linteaminibus abdomini applicatis; nullum porro virium fiat dispendium, commodus ſit parturientis ſitus, nec absque necesſitate uteri contractiones ſuis conaminibus augeat, ſuſtentatve, nec uſu infuſionum calidarum promoveatur ſudor. Si vero ob partus vehementiam ac velocitatem, facile poſt foetus expulſionem oboriretur indirecta aſthenia; hanc praecavere debemus, partum difficiliorem tardiorem reddendo; quare talis parturienti praebendus ſitus, quali foetus expulſio incommoda reddatur; ac capitis nec non ſcapularum expulſio presſione adhibitâ retardetur (77), ac dum cum unâ manu lente admodum evolvantur ſcapulae, cum altera parturientis fri-

(77) Vid. OSBORN, *Eſſays on the Practice of Midwifery in natural and difficult labours*, *London Ao.* 1792 8°. *pag.* 38 *ſeqq.*

fricetur abdomen, ac nullo modo parturiens dolores ſuſtinere, aut illis majorem energeiam concedere debet. Si ex aetate nimis vel minus provectâ oriretur atonia, ſemicupia tepida admodum ſunt proficua. Si ab animi pathemate actio uteri ſupprimeretur, et inde ejus atonia profluueret, apto regimine mentis, et antiſpasmodicis medicamentis huic malo prospiciendum; haemorrhagiae uterinae, ſi durante foetus expulſione exſtant, compesci debent, cui ſcopo inſervit, ut parturiens in illo latere incumbat, cui placenta adhaeret, ut cito rumpantur aquae, ac partus cito vel forcipe vel verſione abſolvatur; ſi uterus, quâcunque de cauſâ foret laeſus, cataplasmata calida ex herbis aromaticis, cum vino irroratis abdomini imponi debent.

Praeſente uteri rheumatismo convenit, opium majoribus doſibus exhibitum ab uno ad duo grana, quod meliorem praeſtat effectum, quam ſi refractis doſibus eadem vel et major propinetur quantitas; conducit porro Ipecacuanha cum Sulph. oxyd. ſtib. hydrog., Pulv. DOVERI, quorum actio augetur calore cubiculi lectique, Inf. calidâ chamomillae copioſe hauſtâ, frictionibus cum ung. opiatis nec non cum linteaminibus calidis abdomini applicatis. His praemiſſis, curam atoniae uteri poſt foetus expulſionem, exhibere convenit, quod vitium ob periculoſiſſimum ei conjunctum ſanguinis non interruptum profluvium, e partiali ſecundinarum ſolutione profluens, omnem obſtetricantis attentionem poſtulat (78).

Indicatur ut uteri actio excitetur, contractiones provocentur vel ſuſtententur, cui indicationi ſatisfaciunt ea remedia, quae vi ſuâ ſpecificâ, vires vitales erigere, functionibus majorem vigorem tribuere, fibras musculares majorem in actum deducere valent, ac vulgo titulo ſtimulantium, tonicorum, et adſtringentium cognita ſunt: quae non tantum extus applicantur, ſed et intus propinantur. Quam-

(78) Si enim nulla est haemorrhagia ob nexum ſecundinarum ubivis integrum, lenioribus tantum auxiliis uteri atoniae occurri debet.

Quamvis enim nonnulli efficaciam medicamentorum intus propinatorum hoc in casu prorsus denegent, et nimium temporis ea requirere, ut actionem suam ad uterum usque exserant, affirment, quam ut tuto in illo casu, haemorrhagia uterina praesente, illis fidere possimus; tamen illa medicamenta (praesertim si uteri atonia ab universali parturientis debilitate dependeat) brevi post assumptionem, suum salutarem effectum praestant, ac haemorrhagiam sistunt imminuuntve. Hoc mihi observare licuit, in tali casu, quo haemorrhagiam imminuere vel adaugere pro lubitu potui, exhibitâ vel non propinatâ Tinct. cinnamomi, a quo medicamento talis praestaretur effectus, ut ipsa parturiens illum observaret et medicamenti novam dosin postularet. Quomodo vero hoc fit? an per impulsum systemati nervoso inductum? an alio modo? difficile est determinatu, quamvis de rei veritate non minus constat.

Quamvis multum vero praestent remedia per os adsumpta, illis tamen non solum est fidendum, sed cum illis conjungi debent remedia, extus applicanda, quae magis directe in locum adfectum agunt, et certius adhuc malum tollere haemorrhagiamque supprimere possunt. Inter auxilia uteri actionem excitare valentia, praeprimis laudantur, vinum, sp. vini, aether, oleum et tinct. cinnamomi, solutio Mur. ferri comp. frictiones abdomini applicatae (79), ac si nec haec sufficiant ad malum superandum, fomentationes tepidae, vel in casu urgente frigidae cum aceto, vel spiritu vini abdomini pedibusque applicentur, quae ultimae tamen cito rursus debent auferri, nec nimis repeti; praesertim si ab illis nullus observatur effectus. Conducunt porro injectiones tepidae, in uterum cum aceto, vino rubro, vel sp. vini diluto; quae praesertim, si cum vi quâdam ad uteri parietem impellantur, egre-

gium

(79) In casibus fere conclamatis WIGANDIUS commendat ut simul fricetur clitoris, de quâ encheiresi saepe salutarem observasse effectum testatur, vid. *Tract. laud. pag.* 43.

gium ſtimulum ad uteri actionem, et vires vitales excitandas exhibent, quarum potentia pro lubitu augeri poteſt additione majori minorive ſp. vini vel aceti. Haec remedia vero non in omni asthenià uteri indiscriminatim propinari debent, rite illorum potentia incitabilitatis gradui adaptari debet, ne noceamus, vel nimis vel non ſufficienter ſtimulando nec parum ergo refert cujusnam naturae praeſens atonia ſit? an ſit directa, vel indirecta quum ab hac diſtinctione, ab aptâ praeſcribendi methodo totus quantus fere dependeat ſalutaris effectus, quam ſaepisſime medicamina exſerant: ſic in asthenià indirectâ, quum penitus fere ſit fracta incitabilitas, conducunt medicamina fortiora, quum minoris virtutis auxilia non valeant ſyncopen uteri repellere; quare tali in caſu e. g. unum vel unum et ſemis cochlearculum Tinct. Cinnamoni exhibetur, ac ſi illo inſigni auxilio reſtituta ſit incitabilitas fracta, tunc non opus eſt ut altera exhibeatur doſis, vel ſi nimis adhuc foret debilis tunc altera hujus medicaminis doſis (multo minor tamen, vel minoris virtutis medicamentum conducit e. g. dimidium cochlearculum Tinct. Cinnamoni; ut ſic incitabilitas, jam jam renascens, penitus reſtituatur. In asthenià ergo indirectâ a majoris virtutis medicaminibus est incipiendum, ac ſenſim ſenſimque, ad leniora confugiendum. In asthenià directâ contrarium obtinet, in illâ tanta doſis certo certius noceret, quia in illo caſu incitabilitas multo minus fracta est, ac igitur tantae energeiae ſtimulus quidem vehementem uteri provocaret contractionem, ſed quum ſuperſtiti incitabilitati minime ſtimulus adaequatus fuit, contractione evaneſcente, major etiam oriretur uteri relaxatio, augeretur malum: in directâ ergo asthenià a parvâ doſi vel minoris efficaciae medicamento eſt incipiendum, prima doſis e. g. Tinct. Cinnamomi ſit 10 vel 15 guttarun, ac ſi haemorrhagia uteri perſtat, ſi magis magisque incitabilitas frangatur, doſis medicamenti ſenſim ſenſimque adaugetur e. g. ſingulis quinque minutis primis cum 3 vel 5 guttis; et hoc non minus in praeſcribendo medicamina,

pro uſu externo, quam in medicaminibus uſui interno appropriatis praeſcribendis obſervari debet.

Quum inter remedia ad uteri actionem excitandam, in caſu atoniae uteri ac ejus haemorrhagiae, fomentationes ac injectiones tepidas utero applicandas commendavimus, loco fomentationum ac injectionum frigidarum acrium, plerumque in hoc caſu laudatarum; officium poſtulat, ut rationes exponemus, quae nos impulerunt, ut aliam praeſcriberemus methodum. 1°. Negari nequit a potenti ſtimulo frigoris, orificiis vaſorum applicato, caloricum ſubduci, fibras ſolidam compagem conſtituentes adſtringi, proprius ſibi invicem adpropinquari; ac ſic illas majorem effectum exſerere poſſe, compeſci haemorrhagiam, et igitur illud auxilium in caſu desperato, incitabilitate penitus fere fractâ ſalutarem exſerere poſſe effectum. Plerumque vero hae injectiones minime ſuperſtiti incitabilitati reſpondent, plerumque dum primo uteri vehementem produxerint contractionem, ac haemorragiam pro momento ſteterint; poſtquam illum ſalutarem effectum praeſtiterint, uterus ad priſtinam calorici gradum redierit, major etiam partium obtinat relaxatio, vaſa vi ſanguinis a tergo impellentis cedunt, pejus evadit malum, majori vi quam antea haemorrhagia procedit, quae ad ſuam profligationem majores etiam requireret ſtimulos; 2°. quum effectus frigidarum injectionum dependeat a potenti ſtimulo frigoris, ſemel ac ſimul organis debitâ ſenſilitate, ad illum ſtimulum percipiendum praeditis, applicato; nec frigus proprie viribus vitalibus proſpiciat, illas nec erigit, nec ſuſtentat; illarum continuata applicatio, non ſolum nullius eſt utilitatis, ſed potius nocet, quum etiam magis frigus uterum debilitet, ejusque actionem ſupprimat (80), quare minime

(80) Ne quis credat me frigori generaliter vim debilitantem adſcribere; ſolum contendo, certis ſub conditionibus, viribus vitalibus imminutis; novâ, calorici ſuperſtitis, detractâ copiâ uteri actionem infringi impediri, ac tali in conditione frigus debilitantem actionem exſerere.

me iis obſtetricantibus indulgendum, qui absque ut ullum ſenſibilem obſervant effectum, cum iis injectionibus ac fomentationibus frigidis, per plures horas, imo ad ultimum vitae halitum, usque ſtrenue pergant nec aliud remedium adhibent, ac ſic ſuo officio ſatisfecisſe ſibi videntur; damnanda enim quam maxime eſt illorum agendi methodus, quâ probant, ſe nec vim, nec agendi modum hujus remedii intelligere. Nec minus eſt reprobanda illorum conſuetudo, qui omnem qualemcunque haemorrhagiam poſt foetus expulſionem obortam, hoc auxilio debellare tentant, ac medicamen tantis viribus praeditum, quaſi nullum malum ex ejus uſu intempeſtivo proflueret, ſine diſcrimine omni in caſu praeſcribunt. Si enim rheumatica vel ſpasmodica uteri adfectio ſimul adſit, uti non raro obtinet, frigoris applicatio a mali naturâ contraindicatur, ac in directâ aſtheniâ rariſime ita incitabilitas eſt fracta, ut tam vehemens ſtimulus ad illam excitandam conducat; verum in illo caſu leniora remedia requiruntur, uti tepidae injectiones quae ſaepe egregie proſunt, ſtimulum ſatis valentem ad uteri actionem excitandam exhibent, vires vitales erigunt, ac quorum potentia additione ſp. vini pro lubitu augeri poteſt, aut quae impune, et cum parturientis emolumento repeti poſſunt. Ut autem melius injectionum tepidarum utilitas pateſcat, ſummatim enarrabo caſum a Doct. HENRICHSEN in SIEBOLDII *Lucinam* memoratum (81). „ Paupera debilis, annos 41 nata, puber-
„ tatis tempore ſaepius epilepticis inſultibus vexata, ſeptimum
„ infantem feliciter peperat, infante in lucem edito, ſtatim ve-
„ hementi ſanguinis profluvio corripiebatur. Obſtetrix ſperans,
„ ut, ex utero remotâ placentâ, haemorrhagia ſiſteretur, brevi illam
„ educebat; contrarium vero quum accideret, fomentationes ac
„ injectiones frigidas ex aquâ ac aceto abdomini ac utero applica-
„ bat, frictiones in globum uterinum inſtituebat, ac ad vires eri-
„ gen-

(81) Vid. *Lucina*, I. *B.* 2 *ſt. pag.* 196 *et ſeqq.*

„ gendas, quidquam vini propinabat. His remediis per ſemi ho-
„ ram incasſum propinatis, increscente periculo, auctor in auxi-
„ lium fuit vocatus, qui parturientem inveniebat valde debilem,
„ animi deliquiis vexatam, nec non inſigni haemorrhagiâ laboran-
„ tem: pulſus erat parvus, contractus ac durus; querebatur partu-
„ riens de frigore, dorſi doloribus, ac faucium conſtrictione, qua
„ respiratione admodum moleſta reddebatur. Referebat maritus
„ ſuam uxorem, durante graviditate ſaepius ſingultu vexatam fuis-
„ ſe, praeſertim ſi frigidis potulentis, aut ſolani tuberoſi tuberi-
„ bus uſos fuerat, et ſaepius queſtam fuiſſe, de ſpasmis ſura-
„ rum, ac digitorum pedis, nec minus de dolore dorſi, ad ſca-
„ pulas ſe extendente. Abdomen molle et flaccidum erat, globus
„ uterinus ſeſe non rite formaverat, oſtium uterinum erat apertum.
„ Antiſpasmodico medicamento frigide propinato, ſingultus orie-
„ batur, quod non accidebat eodem medicamento, e calidâ infu-
„ ſione Fl. Chamomillae exhibito, ac cum frigidae fomentationes
„ injectionesque, nullum effectum praeſtarent, earum in loco auc-
„ tor calidas applicabat ex infuſione Chamomillae; eo cum effectu,
„ ut brevi poſt globus uterinus debitam conſiſtentiam ac volumen
„ acciperet haemorrhagia imminueretur, pulſus normalis evaderet,
„ dorſi dolores ac frigus evanescerent, ſudor aequalis prorumpe-
„ ret, ac dum cum uſu calidarum harum injectionum ac fomenta-
„ tionum pergeretur, penitus tandem ſiſteretur haemorrhagia, ac
„ vires et ſanitatem recuperaret parturiens" (82).

Frigidae ergo injectiones tantum convenirent, in indirectâ aſthe-niâ cum ſanguinis ad uterum congeſtione conjunctâ, ſed et tunc caute admodum ſunt applicandae, ac alia remedia, quae dein memo-raturus ſum praeferrem; quia uterus nimis delicatae ſit fabricae, quam ut tam vehementem ſtimulum impune ferret, nam non ſolum dolores poſt

(82) Conf. *Lucinae*, II. *B.* 3 *ſt. pag.* 15. SIEBOLD, *Practiſchen unterricht in der entbindungskunst*, *Nürnberg Ao.* 1803 §. 156. WIGANDIUS. *L. C. pag* 46.

poſt partum inde fiunt frequentes ac admodum moleſti, non ſolum inde lochiorum ſanguinolentorum fluxus inde prolongatur, ſed, et nonnumquam lochiorum fluxus inde ſupprimitur, inflammationi abdominalium viscerum anſa praebetur, ac non raro alia admodum diverſa mala oriuntur, ſic e. g. in praedispoſitâ haemoptoſin procreare posſunt. LE ROUX propoſuit ad uteri haemorrhagiam ex ejus atoniâ profluentem ſiſtendam, ut vagina ſtupâ (belg. *tampon*) aceto imbuta oppleretur (83), ſperans fore, ut uterus hoc ſtimulo admoto ſeſe contraheret, ac ut ſanguis, ejus excretione impeditâ, ſeſe in uteri cavo coagularet, vaſorum orificia obturaret, ac ſic ſponte ſuum profluvium ſiſteret. Effectus vero propoſiti auxilii, promiſſo non respondet, nam quum oſtium uterinum magis quam ipſe uterus ſtimulatur, hoc ſeſe, utero dilatato manente, contrahit, ac dum igitur malum non tollitur, mutatur tantum rerum facies, de ſanguinis profluvio ſeſe foras monſtrante, uteri haemorrhagia interna oritur non minus periculum indncens. Quod vero ad alterum promiſſum attinet, nec hoc ſpëi respondet; nam dum ſanguis in ſtupae viciniis coaguletur, reliqua major pars, ob loci calorem, fluida manet, nec orificia vaſorum obturat, ſed potius uterus laxus vi ſanguinis impellentis cedit, de novo diſtenditur a ſanguine excreto, ac dum uterus dilatatur lumina vaſorum ampliora evadunt ac augetur haemorrhagia (84). In partu vero abortivo, quando uteri cavitas minus ampla, ejus pariëtes magis firmi ſeſe ſufficienter, majori ſanguinis excretioni opponunt, nec ſeſe dilatare ſinunt, hoc auxilium egregie convenit, quum tunc ſanguinis excretione impeditâ, debita tandem uteri energeia redit, ac ſtupâ remotâ, utero ſeſe contrahente placenta cum ſanguine contento excutiatur.

Mi-

(83) Vid. LE ROUX, *Obſervations ſur les pertes de ſang cet. Part.* III. *pag.* 190 *ſeqq.*

(84) Vid. LA MOTTE *L. C. Obſerv.* 416.

Minoris etiam momenti nobis videtur auxilium a PLOUQUETO propoſitum (85), nimirum ut manu in utero introductâ, comprimatur Aorta, ut ſic minor ſanguinis copia ad uterum perveniat; ac effectus, quem ab eo auxilio obſervarunt RUDIGERUS ac WIGANDIUS, potius ab irritatione uteri, a manu comprimente derivandus videtur (86). Si vero propoſita auxilia malum ſuperare non valent, ſi post eorum applicationem nec durus evadat globus uterinus nec imminuatur haemorrhagia, ſed potius ſymptomata oriantur, inſtantem mortem minitantia, uti pallor, horripilatio, frigus, rigor, vertigo oculorum caligo, caecitas, aurium ſuſurrus, vel ſurditas; animi deliquia, convulſiones, tunc adeo urgente vitali indicatione, fortisſimus quantum novimus, ſtimulus applicari debet, ad uteri contractiones excitandas, manus non refrigerata utero eſt introducenda (87); explorandum dein an major placentae pars jam ſoluta ſit, vel an pro majori parte cum utero adhuc cohaereat. Primo in caſu ſi placenta penitus vel pro majori parte ſolutâ inveniatur, ejus ſolutio abſolvenda, ac ſecundinae educendae eſſe mihi videntur, quia 1°. uterus hac operatione valide ad contractionem ſtimulatur; quia 2°. obſtaculum, quod ejus contractionem impediret, ſive difficilem redderet, ſic auferatur; nam uti e. g. homo valetudinarius nullo pondere oppreſſus, ſeſe facile in diſtantiam duarum horarum per pedes conferre poſſit, ac dum onere quodam ſit onustus, hoc perficere nequit: ſic et uterus ſeſe facilius contrahit, placentâ ſublatâ, quam ſi ſimul nexum diſſolvere ac placentam propellere debeat, ad quod major vis requiritur. Hoc praeceptum vero plures ob haemorrhagiae

(85) Vid. LODERS, *Journal u. ſ. w.*, I. *B.* 3 *ſt. Ao.* 1797 *pag.* 493—495.

(86) WIGAND *L. C. pag.* 52.

(87) Plerumque manus priusquam in uterum ducitur cum aquâ vel aceto refrigerari ſolet, ſed dum ſic frigus potius vaginae ac oſtio uterino applicatur plus nocet, quam prodeſſe potest.

giae augmentum admittere nolunt, ſed quia uterus a manu contenta ita irritatur, parvi momenti plerumque hoc augmentum eſt, quia irritato, ſeſe cito contrahere incipit uterus, ac remotâ placentâ, injectiones majorem effectum praeſtare poſſunt; quare haemorrhagiae momentaneum augmentum melius eſt, quam ut ſuae ſorti miſera committatur parturiens. Si vero manu introductâ conſtaret, majorem placentae partem adhuc cohaerere, tunc ob numerum nimis magnum vaſorum, quae ſi artificialiter ſolvatur placenta, aperienda ſunt ac igitur augmentum majus haemorrhagiae, non tuto illam ſuſcipi poſſe exiſtimo, ſed tunc methodo a WIGANDIO propoſitâ huic malo occurrerem (88). Manu ergo in uterum introductâ, tangendo ac fricando parietem uteri internum hujus organi contractiones excitari debent; quae frictiones praeſertim illi parti applicari debent, a quâ ſeſe placenta ſeparavit: his peractis, pars ſecundinarum ſoluta, firmiter uteri pariëti apprimatur, dum cum alterâ manu utero impoſitâ firmetur uterus ita ut inter ambas manus uterus cum placentâ comprimatur. Hac encheireſi, non ſolum ſiſtitur haemorrhagia, ſed (praeſertim ſi paululum manus moveantur) uterus egregie ad contractiones incitatur. Majori, pro parte ſi placentâ ſolutâ ſit hanc encheireſin non proponimus, quia tunc valde difficilis ejus applicatio eſt, ac quia in tali caſu magis tuto placenta auferri potest.

Haemorrhagia uteri interna ſtatim ſiſti debet, quia uterus magis magisque atonicus fit a ſanguine diſtendente; quare conducit, ut manus in uterum introducatur, ejus parietes fricantur ac dum uteri reactio redire percipiatur, ſenſim ſenſimque ſanguis evacuetur, ut ſic facilius ſeſe contrahat. Si placenta pro majori parte ſoluta ſit, educi debet; ſi contrarium obtineat, fricando et apprimendo pariëtem uteri internam actio ejus eſt excitanda.

Hae-

(88) Vid. WIGAND *L. C. pag. 48 et ſeqq.*

Haemorrhagiâ pro majori parte ſuperatâ, utero ſeſe contrahente, manus educi tuto poteſt. Uteri reactio ſuſtentatur augeaturque; 1°. injectionibus tepidis cum diluto vino, ſp. vini, aceto; 2°. frictionibus aliisque lenioribus auxiliis. Quibus peractis ſi haemorrhagia vigente contractione ſiſtatur, ſi uteri volumen imminuatur, ac ejus durities augeatur; naturae viribus tuto committi opus poteſt, quae citius tardiusve totam placentam ſolvet, ac expellet: vel ſi arte placenta educta foret, tam diu uterus ſtimulari debet, donec juſtam duritiem ac volumen acceperit; quibus praeſentibus de novo ſe extendi non ſinit, aut haemorrhagia ullo modo oriri poteſt.

§. 10.

Expoſitis iis omnibus, quae ad ſolutionem ſecundinarum (partu ad terminum deducto) pertinent, hic diſferendi finem facere poſſem; (quum facile ſit, uti §. 12. Cap. III. monuimus, curam rite modificare, ſi variae cauſae concurrant, quae ſolutionem ſecundinarum impediunt,) niſi ſuperesſet ut nonnulla in mediûm proferrem, de duabus ſequelis quae a ſolutione ſecundinarum dependent. I°. enim nonnumquam contingit, ut, dum deglubuntur ſecundinae, pars quaedam illarum in utero remaneat, quae brevi variis ſymptomatibus cognoscitur. Contingit II°. ut e mora nimis diuturnâ ſecundinarum in utero poſt foetus expulſionem varia ſymptomata producantur, ut in putredinem ſecundinae abeant. Non incongruum ergo erit, ut haec mala accuratius deſcribamus, et modum illis medendi addamus.

Si ergo pars quaedam ſecundinarum in utero relicta ſit, vel redeunte uteri vigore novae oboriûntur contractiones, quae hanc partem ſolvunt, oſtium uterinum dilatant, et per oſtium uterinum dilatatum, hanc partem ſecundinarum relictam, ûtpote corpus peregrinum expellunt (89), vel tam periculoſa ſymptomata tale cor-

(89) Vid. SMELLII *L. C. vol.* II. *pag.* 397 *caſe* VIII. DE REUS *L. C. pag.* 153. BAUDELOCQUIUS *L. C. pag* 416 §. 964.

corpus producit, ut omnem obstetricantis curam postulet. Nam haemorrhagiae vehementissimae non raro excitantur a solutione harum partium, ac defectu debitae energeiae uteri ad talem partem per collum ac ostium uterinum jam contracta propellandam; quare hi casus in genere curam atoniae uteri sibi vindicant, eâ cum modificatione, quod, pars secundinarum relicta quum in tali casu generaliter fere tota quanta soluta esse soleat, educi debeat; quando obstaculo, uteri contractionem impediente, remoto, sese uterus facile contrahit ac sanguinis profluvium cessat. Hae haemorrhagiae non solum a partibus ipsius placentae relictis, sed etiam a partibus membranarum produci possunt, uti patet ex observ. CCCC LA MOTTII (90), ac ipse observavi haemorrhagiam tertio post partum die, quae, eductâ membranâ ostium uterinum occupante mox sisteretur; quare secundinae summâ cautelâ semper sunt educendae, ut tale praecaveatur malûm. In putredinem etiam non raro tales partes abeunt ac omnia producunt symptomata, quae ab integris putrescentibus secundinis provocari solent, nec quoad curam singulare quid sibi postulant, quare inutile duxi, hac de re ibi loci agere.

§. II.

Ut ordine in hâcce pertractatione procedamus conveniet.

I°. Loco exponere, quid putredo sit, quaenam conditiones illam producant; dein probandum est placentam vi suae fabricae in putredinem esse pronam, ac debitis sub conditionibus in illam rue-re debere, denique explicandae sunt causae placentae putrescentiam arcentes, quando simul patebit putredinem illam non dependere a conaminibus ad solvendam placentam institutis; uti nonnulli voluerunt.

II°. Mali diagnosin exhibebimus.

III°. Ejus

(90) Vid. LA MOTTE *L. C. Liv. V. Chap. 3 Obsery. 400 pag. 609.*

III°. Ejus ſequelas nocivas expoſituri ſumus; ac.
IV°. De Putredinis curâ ſumus acturi.
Quo ad I^um

Veterum tam vaga ac indeterminata fuit de putredine opinio, ut nonnulli omnes dyſcraſias ac cachexias hac voce deſignaverint, atque ipſam puogeneſin putreſcentiam, ac urinam craſſam, turbidam vocarint putridam (91). Alii e contra perfectam tantum diſſolutionem ac decompoſitionem corporum organicorum hac voce inſigniverunt, quod plurimis disputationibus ac litigationibus anſam praebuit; nam dum illi putredinem, ſuperſtite vitâ, occurrere defenderent, hi quam maxime eam negarent. Absque ut hanc rem ulterius perſequi velimus, ne in hac pertractatione ulli ambiguitati locus ſuperſit definitionem putredinis exhibere conveniet. Putredinem voco, *Quando corpus organicum ſuâ vitâ privatum, et fabricam et compoſitionem organicam amittit, ejusque partes conſtituentes ad aliam normam, ſecundum leges Naturae inorganicae inter ſeſe conjunguntur.* Conditiones ad hanc fermentationis ſpeciem neceſſariae, quibus abſentibus adeſſe nequit, ſunt 1°. principii vitalis abolitio, quum vita omnis putredinis ideam excludat, ſeſe huic opponit, ac illâ praeſente, putredo adeſſe nequit (92); 2^do certa temperatura 40° inter et 84° ſcalae Fahrenheitianae, nam nec in frigore, in quo aqua ſolidam formam aſſumit, nec in eo caloris gradu, quo corpora aduruntur exſiccantur, obtinere potest; 3°. requiritur, ut adſit humiditas, ac aëris acceſſus, quamvis hic ſtricte non requiratur (93). Si nunc ad placentam pro parte vel penitus ſolutam, verum in

(91) Uti ATHENAEUS et CHR. LUDOV. HOFFMANN.
(92) Negare interim nolo durante vitâ diſſolutionem humorum, niſum ad putredinem obſervari, a verâ tamen putredine ſemper diverſam.
(93) Vid. A. F. FOUCROY, *Syſteme des connaiſſances Chimiques Tom.* IX. *Section* VIII. *ord.* II. *Art.* 10 *pag.* 96—113.

in utero relictam attendamus; si nobis fingamus hoc viscus ob solutionem, partialem vel plenariam a vitâ pro parte vel penitus destitutam, molle, spongiosum, magnâ humorum copiâ praeditum, debito caloris gradui, aëris accessui, lochiorum emanantium actioni, expositum, ita ut omnes conditiones ad putredinem requisitas adsint, non opus erit ut probem, placentam vi suae fabricae, aptis sub circumstantiis, in putredinem ruere debere. Potius nos mirari debemus non semper id accidere, uti observationes probant, imo saepe per plures dies hebdomadesque fuisse retentam, absque ullis putredinis signis, dum caeterum jam paucis post foetus expulsionem praeterlapsis horis observantur certa putredinis indicia (94). Hoc vero certo certius dependere debet ex absentiâ unius pluriumve conditionum ad putredinem requisitarum, et quidem, ni fallor, dependet, quod illis in casibus placenta ab utero non fuerit soluta, quod persistente cohaesione circulatio sanguinis per placentam non fuerit impedita, quae certe, quamvis expulso foetu difficilius reddatur, praesertim in parte maternâ procedere potest, in quâ ergo vita superstes manet. Praeterquam enim, quod hoc e citatis casibus concludere liceat, ac nullum inveniatur exemplum placentae perfecte adhuc cum utero cohaerentis in putredinem versae (95); sana physiologica doctrina ab alterâ parte nos docet, quod si circulatio perfecte aliquâ in parte impediatur, de vitâ actum sit, ac talem partem leges Naturae inorganicae subire debere: quare cohaesionem non fuisse solutam nec vitam deletam hisce in casibus tuto concludere licet, ac Naturam suâ *αὐτοκραζεια* morbosam illam cohaesionem superas

(94) Conf. *Nota* 10 *ad* §. 2 *Cap.* II.

(95) HERDER *in suo opere, Zur erweiterung der Gebürtshulfe diagnotisch Praktische Beitrage, Leipzig* 1803 8°. *pag.* 220 *seqq.*, statuit, placentam cum utero cohaerentem in putredinem abire posse, quum vero occasio defuerit inspiciendi huncce Tractatum, judicium hac de re nullum ferre possum. Forsan de placentâ pro parte cohaerente pro parte solutâ hic sermo est.

rasse ac ostium uterinum contractionibus cesisse, sese de novo aperuisse, ac transitum secundinis concedisse patet. Hi vero casus, si comparentur cum illis, in quibus Natura non tam feliciter hoc periculum superavit, merito exceptiones de formâ generali vocari possunt, nec de iis multum sperare licet; omnes enim rei obstetriciae scriptores plures adferunt casus, in quibus putredo retentionem secundinarum insecuta fuit; v. g. HIPPOCRATES (96), AËTIUS (97), AËGINETTA (98), AVICENNA (99), MAURICEAU (100), DENYS (101), TITSING (102), ROEDERER (103), LE ROUX (104), BAUDELOCQUE (105), HAMILTON (106) aliique. Si nunc recordemur conditiones putredinem producentes, si in memoriam revocemus, non solum fabricam placentae, sed et conditiones, sub quibus, dum in utero soluta tenetur, versatur placenta, neminem non mihi concessurum fore existimo, absque conaminibus ad solutionem producendam institutis putredinem oriri plerumque debere; verum etiam ab illis conaminibus non posse produci, saltem ea uti causam proximam putredinis non in censum venire. Alia quidem mala ab illis co-

na-

(96) *De morbis mulierum*, *Tom.* 1 *ed. Foës. pag.* 608.
(97) AETIUS, *Tetrab.* IV. *serm.* IV. *Cap.* 24.
(98) AËGINETTA *de Re Medica L.* 17 *Cap.* 75.
(99) AVICENNA, *Lib.* III. *Tom.* 21 *Tract.* 2 *Cap.* 16.
(100) MAURICEAU *L. C.*
(101) DENYS, *Verhandeling over het ampt der Vroedmeesters en Vroedvrouwen*, *Leiden* 1733 *pag.* 280.
(102) TITSING, *Beschеide deel der Vroedvrouwen, ofte kortbondig onderwijs enz.*, *Amst. Ao.* 1751 8°. *pag.* 300 *en vervolg.*
(103) ROËDERER, *Elem. artis Obstetric.*, *Götting.* 1759 8°. *pag.* 168 *et* 173.
(104) LE ROUX, *Observ. sur les pertes de sang des Femmes en couches, et sur les moyens de les guerir*, *Paris* 1773 8°.
(105) BAUDELOCQUE *L. C.* §. 955.
(106) HAMILTON, *Outlines of the Theory and Practice of Midwifery*, *Edenburg* 1784 8°. *pag.* 223—225.

naminibus producuntur, nam ſtimulando, lacerando, vulnerando internam uteri parietem hujus organi inflammationem (μετριτιν) producere posſunt, ac ſic remotam putredinis ſecundinarum cauſam ſiſtere, (ſecundinis ab incaute irritato ac inflammato oſtio uterino clauſo retentis) (107). Posſunt, medicamenta ſtimulantia, emmenagoga ad promovendam ſolutionem ſecundinarum exhibita, motum progreſſivum ac inteſtinum humorum adaugentia, diſſolubilitatem (Germ. TRENNBARKEIT) humorum producentia, corpus ad effectus putreſcentis placentae ſenſibilius reddere; putredinem vero qua talem numquam producunt. Ac ſic ad alterum hujus §. momentum perveni quod de hujus mali diagnoſi agit.

Uti putredo in genere, ſic et illa ſecundinarum ſeſe ſymptomatibus non aequivocis monſtrat, ac praeſertim odore ſingulari admodum ingrato, putrido, contagioſo qui cum illâ ſemper eſt conjunctus. Incipiente putredine emolliuntur partes, color mutatur, qui vel nigrescens vel viridescens obſervatur, odor ac color lochiorum mutationem ſubeunt, odor de nauſeoſo foetidus fit, ac vix ab adſtantibus ferri poteſt, ac odor a manubus obſtetricantis infecis putrilagine effluente, lotione vix auferrur, cui odori ſeſe odor ammoniacalis adjungit, qui cito tamen rurſus disparet, remanente putrido odore. Emolliuntur ſecundinae ac in gelatinae vel putrilaginis ſpeciem ſolvuntur, intumescunt leniter, liquorem ſeroſum varii coloris fundunt, tota maſſa ſic ſolvitur ac ejus volumen imminuitur, color magis intenſus fit. Durante illâ actione variae ſpecies fluidorum elaſticorum evolvuntur, uti gaz hydrogenium carboniſatum, ſulphuratum, ac phosphoratum, quae ubique ſecum ferunt ac ſpargunt putredinem, et omnia circumdantia corpora miasmate illo putrido adficiuntur.

Quo

(107) Mirum videtur Auctores rei Obſtetriciae inflammationem uteri tam ſaepe cum putredine ſecundinarum confundere, cum utrumque malum quo ad naturam, curam ac effectus adeo a ſe invicem differre.

Quo ad III.

Quum omnia fere animalia, praeſertim ea, quae perfectioris (ut ajunt) ſunt organiſationis, pesſime a putredine adficiantur, corpora putrescentia aufugiant, nec niſi dirâ necesſitate coacta in praedam convertant; a priore concludere posſumus putredinem vitae ac ſanitati esſe nocivam: nec mirum hominem fabricâ et organiſatione ad ſummum gradum ſcalae perfectionis a Creatore evectum, averſari materies animales corruptas, ingrate ab illis adfici, ejusque viſus ac olfactus organa praeprimis laedi, a fluidis elaſticis ſeſe e corporibus putrescentibus evolventibus asphixiâ nonnumquam corripi; vel ſi non tam cito deleterium effectum in illum exerceant, tamen lentâ abſorptione ejus materiae purulentae illum necant, morbos maligni generis putridos provocando. Quae quum ſint effecta putredinis generalia, quaenam, quaeſo? non debent oriri e putredine ſecundinarum. Si attendamus ad corpus foeminarum debile ac irritabile, partu praegreſſo ſenſibilius ac irritabilius redditum. Si recordemur uteri conditionem, ejusque vaſa ubique hiantia abſorptioni materiae ichoroſae putridae adaptata patet, effectus, quam maxime deleterios inde profluere debere, uti ventris duritiem, tenſionem, dolorem, ſenſilitatem, intumescentiam, meteorismum, leipothumiam, febrim continuam remittentem hecticam, lochiorum degenerationem ac putredinem, dejectiones alvinas, liquidas, putridas, colliquativas, urinam degeneratam turbidam, ſudorem profuſum, pulſum parvum ac celerem ac tandem principii vitalis abolitionem ſive mortem (108).

Non-

(108) Vid. praeter jam in fine primae partis hujus §. citatos auctores II. MIRANDOLLE VAN GHERT, *Verhand. van het Zeeuws Genootſchap der Wetenſchappen*, VI. *Dl. pag.* 613, et Cl. E. SANDIFORT, *Obſervat. Anat. Pathol. Lib.* II. *Cap.* V. *pag.* 107 *et* 108. Doct. G. SALOMON, mecum communicavit, in ſedecim caſibus quorum in auxilium ab aliis Obſtetricantibus vocatus fuerit, unam tantum foeminam ex orci faucibus eripere ſibi licuiſſe: nec ea niſi varia per ſex menſes perpeſſa, ut res ſaepe in augusto eſſet.

Nonnulli auctores vel penitus putredinem ſecundinarum occurrere negant, uti HUWE, ac VAN DER HAAR (109), vel tantum (uti monuimus) ut ſequelam vis adhibitae ad ſolvendas ſecundinas conſiderant, uti AEPLI aliique; (110) vel tanti momenti ſymptomata exinde oriri negant, uti RUISCHIUS (111), ejusque aſſeclae; quia placenta ſit conceptionis productum nec ad matrem pertinens quia et foetus corrupti, putrescentes absque moleſtiâ per longum tempus a foeminis geſtantur, ac foeminae carcinomate uteri adfectae diu ſanae manent. Non opus erit probare putredinem revera occurrere, nec opus erit exponere illam non ab illis conamibus dependere, ſed verbo tantum moneo argumenta a RUISCHIO prolata, ut effectus putrescentis placentae terribiles negaret, parvi momenti nobis videri; quia parum differt, an placenta pars foetus ſive matris ſit, ſi in utero contineatur ac matri ſeſe communicare valeat haecce putredo: praeterea foetus mortui non ſemper in putredinem abeunt, ac ſi reverâ putrescant, plerumque nocivos effectus in corpus foemininum producant; nec foetus putridus, ac putrida placenta iisdem ſub conditionibus ſeſe quo ad uterum habent; ac denique uteri carcinomate adfecti conditio differt quam maxime ab utero parturientis placentam continente, uti hoc obſervavit MULDERUS (112), nec non carcinoma uteri, latius ſi ſeſe vitium extendat funeſtos effectus certo certius producat. Aeque minus opus fore exiſtimo, refutare APPUNNII comparationem inter effectus putres-

(109) Vid. HUWE, *Onderwijs der Krouwen, aangaande het Kinderbaren, d.* 2 *Haarlem* 1735 8°. *pag.* 190 *Comp. cum pag.* 508 *et* 510. VAN DER HAAR, *Aanmerkingen over het zoo ſchadelijk als gevaarlijk afhalen van de Nageboorte, pag.* 14—17.

(110) Vid. AEPLI, *die ſichere Zurücklaſſung der Nachgeburt in bestimten Fällen pag.* 86—92.

(111) Vid. RUISCH, *Dec. Anat.* II. *pag.* 33—35, nec non *Tract. Anat. de muscul. in fundo uterino obſerv. &c., pag.* 14.

(112) Vid. MULDERUS *pag.* 263 *L. C.*

trescentis placentae ac faecum in inteſtinis crasſis putrescentium (113).

Hisce praelibatis mali hujus rari ac gravis medendi methodum exhibere conveniet. Indicatio medica requirit, ut primo morbi cauſam tollamus, deinde viribus vitalibus prospiciamus, ac tandem ſymptomatibus, quantum fieri posſit occurramus. Primae indicationi placentae ablatio ſatisfacit, quae propter cauſas alio loco expoſitas, praeterlapſis aliquot poſt partum horis, ſi ſponte non ſequatur, ac incasſum aliis adhibitis adminiculis, debitâ cum cautelâ inſtituitur, ut putredo praecaveatur. Putredine jam praeſente ſaepe huic indicationi ſatisfieri nequit ob oſtii uterini conſtrictionem; (ceterum certo certius conducit) ac oſtii uterini dilatatio, medicaminibus emollientibus ac antiſpasmodicis eſt tantanda, omnibus mechanicis vehementioribus auxiliis plus damni, quam utilitatis allaturis, ſepoſitis. Hocce conamine e voto ſuccedente, degluptâ ac excusſâ placentâ, convenit uterum injectionibus detergentibus a ſordibus relictis liberare, ejusque ſubphlogiſticum ſtatum ſi adſit, emendare; cui ſcopo cataplasmata tepida emollientia e farinâ lini et Hb. malvae e. g. ventri impoſita egregie conducunt, ac pro uſu interno diluentia antiphlogiſtica medicamina, vel ſi prae phlogoſeos ſymptomatibus magis urgeant ſymptomata a putredine producta, indicantur alia, de quibus mox dicendum. Si vero ob conſtrictionem nimis firmam oſtii uterini conamina ad ſolutionem ſecundinarum promovenda non ſuccedant, a propoſito abſtinere convenit, ne malum malo addamus, ac cura palliativa, ſymptomatica eſt inſtituenda. Pars ſecundinarum putrida, ſi per oſtium uterinum foras promineat, eſt auferenda; injectiones antiſepticae nec non diluentes ſunt applicandae, ut materiae ichoroſae putridae liber concedatur effluxus; et totum corpus

(113) Vid. APPUN, *In diſſert. de non acceleranda ſecund. extract. Götting.* 1768 4°. *pag.* 22. Conf. SANDIFORTII, *Biblioth.* VIII. *Dl.* 1 *ſt. pag.* 208.

pus quantumpote a putredine immune ſervatur. Conveniunt clysmata ejusdem ordinis, ut omnis collectio ſaburrae putredinem promoventis impediatur, primae viae roborentur ac effectus purulentae materiae abſorptae, humorum dyſcraſiam nimirum, quantum fieri poteſt, impediatur; cui ſcopo ſimul egregie inſerviunt medicamenta tonica, amara, antiſeptica, uti Cortex Peruvianus, et acida mineralia (Acid. ſulphur. dil. Elix. acid. HALLERI) intus propinata, quorum quantitas ac praeſcribendi modus ab ipſo caſu terminatur, ac ſic ſecundae ac tertiae indicationi ſimul ſatisfacere poſſumus. Huic pertractationi hic finem imponere poſſem, niſi diverſorum auctorum, valde inter ſe diſſentientium opiniones exponere adhuc deberemus. Nonnulli admodum artificialem ſecundinarum ſolutionem pertimescentes ac minus de putredine ſolliciti, uti VAN WY et APPUN (114), ſolutionem artificialem ob ſecundinarum putredinem fieri debere recuſant, quia cura praeſcripta ſufficit ad effectus nocivos inde profluentes praecavendos vel tollendos ac mala e ſolutione artificiali promanantia majoris ſint momenti, quam illa quae e putredine ſecundinarum profluunt. Sed monere liceat cum putredine ſecundinarum phlogoſin uteri non ſemper eſſe conjunctam ac ſi adſit, quamvis operatio difficilior inde reddatur, tamen ut majora praecaveantur mala, eam inſtitui debere, quum et ab ipſâ putredine nexus plerumque infirmetur, ac facile inſtitui poſſit. Nec operationi ſunt imputanda, quae rudiori manui debentur, neque haemorrhagiae metus nos deterrere debet, quum ſanguine jam magis aequaliter per totum corpus diſtributo minori copiâ ad uterum tendente, majoris momenti haemorrhagia operationem non ſit inſecutura, ac ſi inſequeretur, tunc ars ſuum artificem non deſerit, ſed varia ad illam compescendam ei praebet adminicula. Alii tam ſolutionem artificialem, quam ipſam putredinem pertimes-

(114) Vid. opera jam ſaepius citata.

mescentes mediam tenuerunt viam, nimirum ut pars putredine adfecta auferretur, relictâ parte ſanâ utero cohaerente praeſcripſerunt (115); ſed ne nunc non dicam, quod hocce praeceptum facilius ſit dictu quam factu (116), quum primae noſtrae indicationi tantum pro parte ſatisfaciat, nam tantum pro parte impedit abſorptionem materiae putridae, parte relictâ ſecundinarum ſenſim ſenſimque in putrilaginem abeunte, ac quia ablatione totius placentae omnis abſorptio praecavetur vel impeditur, praeſcriptae methodo hocce praeceptum postponi debere, nobis videtur. Nonnulli minus vitali indicationi proſpicientes nimis diluentium ac catharticorum uſui inhaerent, ac corpore debilitando ac viribus vitalibus proſternendis non uno titulo nocent. Alii rurſus de peſſimis putrescentis placentae effectibus convicti inter quos omnes articialem ſolutionem ſecundinarum defendentes pertinent auctores, de quibus OSIANDRUM nominaſſe ſufficiet (117), omni ſtudio placentam tollere tentant, ac oſtio uterino contracto, nec lenioribus auxiliis cedente illud cum inſtrumentis variae conſtructionis dilatare, aperire conantur; ſed nec haecce methodus valet, nam quamvis et ego placentam tollendam eſſe opinor, tamen, apto momento praeterito, oſtio uterino firmiter clauſo, a propoſito abſtinere tutius exiſtimo, quam ut Naturae vim inferamus conaminibus ſcopum propoſitum rariſſime adimplentibus, dolorem ingentem inferentibus, oſtium uterinum, ſtimulantibus, vulnerantibus dilacerantibus.

Quare ſi metus putredinis oboriturae naſcitur, vel ſymptomata putredinis ſecundinarum jam adſint ſemper tollendam eſſe placentam

(115) Vid. LE ROUX, *L. C.*

(116) Vid. RICHTER, *Chir. Bibliotheek*, IV. *b.* 1 *ſt. pag.* 13 *et* MULDERUS *L. C.* §. 19 *Cap.* II. *Sect.* II. *pag.* 266.

(117) Vid. OSIANDER *L. C. pag.* 27 *Partis* II. ac ejus *Annalen der Entbindungs Lehranſtalt auf der Univerſität zu Göttingen vom Jahr* 1800.

tam exiſtimo, ſi absque vi fieri posſit: contrarium vero ſi obtineat, curam tantum palliativam inſtituendam esſe, perſuaſum mihi habeo.

§. 12.

Atque haec ſunt L. B. quae pro ſpecimine academico dicenda mihi propoſueram, atque ſi in his a veritatis tramite aberraverim, aut quae paucis erant dicenda, longo ſermone expoſuerim, aut latius explicanda, ſtrictius proſecutus ſim, aut momentâ magis necesſaria omiſerim, ut haec condonetis ac virium mearum et aetatis rationem habeatis, etiam atque etiam rogo.

TANTUM.

PO-

Bayerische Staatsbibliothek München

POSITIONES VARII ARGUMENTI.

I.

Plantae de terrâ non hauriunt humores, pro ſuâ indole, diverſos, ſed tantum aquam aëratam.

II.

Optima ſaepe eſt medicina, in morbis curandis, medicinam non facere.

III.

Egregie ait BAGLIVIUS: *Duo ſunt medicinae cardines, ratio et obſervatio, obſervatio tamen eſt filum, ad quod dirigi debent Medicorum ratiocinia.*

IV.

Quo magis organa functionibus variis deſtinata ſunt diſtincta, eo perfectiora dicuntur animalia; quo magis in unum confluxerint, eo imperfectiora.

V.

Recte dixit STOLL. „*Fortunate medebitur, qui remedia exhibendi occaſiones ſagax captat, quique repertae indicationi potius, quam ſpecificae remediorum virtuti confidit.*"

VI.

Recte GALENUS *de ſanitate tuendâ Lib.* I. Perfecte ſanum neminem dici poſſe.

VII.

Optima mihi videtur diſtinctio, inter pleuritidem ac febrim pleuriticam.

VIII.

VIII.

Summus HIPPOCRATES *Sect.* II. *aphor.* 10. jure inquit: „ *Impura corpora, quo magis nutriveris, eo magis laedes.*"

IX.

In dijudicando incrementum diametri conjugatae, per ſynchondrotomiam oſſium pubis, in computum ſimul duci debet, decrementum diametri capitis foetus; cum ſemper pars quaedam capitis inter oſſa pubis a ſe invicem remota ſeſe inſinuat.

X.

Prae ſectione Caeſarea aut uncorum uſui convenit, ſectio ſynchondroſis oſſium pubis, capite foetus vivi tam firmiter incuneato ut lenioribus adminiculis diſſolvi nequeat.

XI.

In retro aut anteverſione uteri durante graviditate, cum reſtitui propter nimis adauctum volumen omnino non poſſit; evacuationi liquoris amnii, quae foetus mortem ſemper post ſe trahit, ſynchondrotomiam praeferrem.

XII.

Organismus, ſi aſſimilare deſinit, aſſimilatur.

XIII.

Optimam ſanitatem mors tandem ſequitur, quae quidem mortis ſpecies maxime naturalis.

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet."

VIII.

Summus HIPPOCRATES *Sect.* II. *aphor.* 10. jure inquit: „ *Impura corpora, quo magis nutriveris, eo magis laedes.*"

IX.

In dijudicando incrementum diametri conjugatae, per ſynchondrotomiam oſſium pubis, in computum ſimul duci debet, decrementum diametri capitis foetus; cum ſemper pars quaedam capitis inter oſſa pubis a ſe invicem remota ſeſe inſinuat.

X.

Prae ſectione Caeſarea aut uncorum uſui convenit, ſectio ſynchondroſis oſſium pubis, capite foetus vivi tam firmiter incuneato ut lenioribus adminiculis diſſolvi nequeat.

XI.

In retro aut anteverſione uteri durante graviditate, cum reſtitui propter nimis adauctum volumen omnino non poſſit; evacuationi liquoris amnii, quae foetus mortem ſemper post ſe trahit, ſynchondrotomiam praeferrem.

XII.

Organismus, ſi aſſimilare deſinit, aſſimilatur.

XIII.

Optimam ſanitatem mors tandem ſequitur, quae quidem mortis ſpecies maxime naturalis.

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet."

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Charante, Gabriel van

Diss. obstetr.-med. inaug. de cura secundinarum, graviditate ad terminum deducta

Lugdunum Batavorum 1815

4 Diss. 5096#Beibd.11
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11029029-0